



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENDO RELICTIS.

Ab. 44.

3

SACROSANCTA ADMINICULANTE TRIADE,
EXERCITIUM JURIDICUM
DE
SACCULARIIS
ET
DIRECTARIIS,

Ad L. VII. FF. DE EXTRAORD. CRIMIN.

Don Beutelschneidern und
Spitzbuben/

QVOD
SUFFRAGIO ET AUTHORITYTE
MAGNIFICI JURECONSULTORVM
ORDINIS, IN ILLUSTR. HAC VIADRINA
SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISS. CONSULTISS. & EXCELLENTISSIMI
DN. SAMUELIS STRYKII,

J. U. DOCT. & NOVELLARUM PROFES-
SORIS PUBLICI DIGNISSIMI,

PUBLICO ERUDITORUM SCRUTINIO
PLACIDE & REVERENTER PROPONIT

JUSTUS HENRICUS RHODEN,
BILEFELDIENSIS. WESTPHALUS.

AD DIEM XXI. FEBR. ANNO SALUTIS CHRISTIANÆ
M. DC. LXVII.

IN ACROATERIO JCTORUM HORIS CONSVETIS.

LITERIS CHRISTOPHORI ZEITLERI.

EX LIBRIS MUSEI HISTORICO-NATURALIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS

22 AUGUSTI 1872

LIBRARIIS

22 AUGUSTI 1872

22 AUGUSTI 1872

22 AUGUSTI 1872

22 AUGUSTI 1872

22 AUGUSTI 1872



Quod Felix Faustumq; jubeat
Supremum Numen,
PRÆFATIO.



*Vi sequiora hæc nostra dixerit Secula, quod ad
cribrum dixerit, non dubitamus: Quippe si un-
quam, certè ævo nostro Hominis nomen Homo
exuisse videtur. Quos enim socios sibi consti-
tuerat Natura; Quos arctissimo sibi vinculo
junxerat invicem; Hos turbat summoperè males-
feriatorum libido, quæ non contenta suis, alienis inbiat turpis-
simè. Adeo in diversas partes ac contrarias planè nos rapit
animorum diversitas, dum pronus quisq; est ad injurias alteri
inferendas, planè, quid societatis communis vinculum flagitet,
non attento. Etenim ut alter alterius commodis invigilaret,
Natura intendebat: Sed postquam corruptela pessima morta-
lium invaserant actiones, contrarium intentio assecuta effe-
ctum. Ruinam alterius alter prono impetu meditatur, & ino-
terdum ipse, modo alteri hac ratione nocuerit, incommoda lu-
bens in se suscipit, insomnes agit noctes & convitiis impe-
tu, si ex vero non liceat, in Vicinum debacchatur. Adeo non
contenta interiori motu, habendi cupido, dum Vatiniano odio
animi corrumpit sensa. Sed & qua ima mente reposita, extus
expellit, & ad Calumniam suos rapit cultores. Hinc quæ jure
non poterat, vel figmentis vel mendaciis acquirere sibi cona-
tur. Sed neq; verbis contenta tanta mortalium perversitas, sed
& factis ostendit, quid mente hæctenus secum ruminarit. Hinc
in diversa ruunt scelera, quibus vel damnum proximo concilia-
re, vel eundem bonis suis spoliare queant. Inde nec in Publico
delinquere verentur, bona aliorum palàm auferendo, vel vim
aliis inferendo. Multò minus à clandestinis Criminibus ab-
stinebunt. Quippe hic se cautius mercari vident, dum remo-*

tis arbitris agunt, vel dum, quod animo fovebant scelus, minori strepitu ad effectum deduci posse, advertunt. Hinc tot machinationes, quae cottidiè capessunt incrementa. Hinc tot scelera quae nec majorum aetas vel vidit vel credidisset. Quid cause subsit, quae vitia alat, non adeò obscurum. Scelerum impunitas integrum absolvit punctum. Huic, si poena adsit, iudicum socordia suffragatur, qui vel sumptibus parcentes, vel proprio lucro inhiantes, publica negligunt, nec facinorosis hominibus Provincias purgant. Facile itaq; ad delinquendum invitantur illi, qui manuum labore alimenta querere sibi delectant, & Vacant, dum nequitiis se lautissimè sustentari vident. Quippe ad otium proni, ad delicta haud invitati rapiuntur, spe impunitatis insuper ad id ipsum allecti. Interim severiori coercitione prosequendi hi forent, ne ad delicta majora, dum à minimis incipiunt, prolabantur. Ita enim & Publico bono consulere ex asse, & alii, qui eandem vitiorum semitam calcare nitebantur, ad frugem meliorem deducerentur. Non ergo frustranea erit industria, quae delictis per scrutandis impenditur; Nec contemnendum studium, quod circa poenas cuiusvis delicto irrogandas occupatum. Nos ergo, qui de Exercitio Academico solliciti sumus, ex illa delictorum materia seligemus quaedam, non vulgatiore ac obvia ubi vis; Sed frequentiora quidem, si perpetrationem consideres; Rariora tamen, si tractationem. Ansam suppeditat nobis Ulpianus § Ctus in L. Saccularii 7. ff. d. Extraord. Crim. ubi sacculariorum & Directoriorum machinationes exponit. Crimina haec nec bodiè incognita, sed frequentiora, mutata tamen paulisper, ac alio colore obfusata. Proponemus tamen species horum famosiores. Sed hoc ut ex voto fiat ac feliciter: Tu o Omnipotens & Aeternae DEUS, Summe scelerum Vindex, Clementissime largiaris.

Verba



VERBA TEXTUS

L. Saccularii VII. FF. de Extraord.
Criminib.

Ulpianus Libr. 9. de offic. Procons.

S Accularii qui vetitas in sacculo artes exercentes, partem subducunt partem subtrahunt: Item qui Directarii appellantur, hoc est hi, qui in aliena coenacula se dirigunt, furandi animo, plus quam fures puniendi sunt, idcircoque aut ad tempus in opus dantur Publicum, aut fustibus castigantur, & dimittuntur, aut ad tempus relegantur.

CAPUT I.

DE

SACCULARIORUM ET DIRECTARIORUM DESCRIPTIONE.

S U M M A R I A.

1. Loca iuris notantur, ubi Saccularior: & Directi, fit mentio.
2. Saccularii unde dicti.
3. Quid Sacculus.
4. Quid in Sacculo offerre.
5. Quid in folle offerre, & quid follis.
6. Follis quid significet in Rubric. Cod. de Prator.
7. Qui Saccophori.
8. Qui Saccarii.
9. Qui

9. *Qui θυλακίφοροι*10. *Qui Sacellarii.*11. *An in Lege nostra legendum cal-
cularii.*12. *Sacculariorum descriptio.*13. *Quid per artes vetitas in textu
intelligendum.*14. *Quid subducere, & subtrahere.*15. *Verus verborum intellectus pro-
ponitur.*16. *Directariorum descriptio.*17. *Directarii unde dicti.*18. *Variae lectiones vocabuli dire-
ctarii adducuntur.*19. *An Directarius rectè legat Ho-
tomannus.*20. *Græca Directariorum Synonyma*21. *Quid sit in Cœnacula dirigerè.*22. *Quid Cœnaculum.*23. *Quid Cœnacularius in jure.*24. *Cœnaculum quomodo hic accipi-
atur.*

1.



Uæ Delinquentium species sunt, quæ in nostra lege proponuntur, Saccularii scilicet & Directarii. Quæ vocabula minus frequentata, & in jure nostro rarius reperiuntur; Et quantum mihi quidem constat, utrumque vocabulum in duobus tantummodo textibus habetur, ut in nostra l. 7. ff. de Extraord. Crim. & in l. 1. §. 2 ff. de Effract. Ideoque

operam nos non perdituros arbitramur, si in hæc vocabula accuratiori scrutinio, sed breviter, inquiramus. Et quidem Saccularii vocem quod concernit, eos à sacculis vel saccis ita appellatos esse, indubium penes omnes est; & videtur idem Textus noster insinuarè, dum dicit; *Saccularii sunt, qui vetitas in sacculo artes exercent*; Sacculus autem, Crumena, & Marsupium idem hoc nostro casu significant, videlicet repositorium vel reconditorium nummorum; Hinc in l. 77. ff. de Furt. dicitur; *Qui saccum habentem pecuniam surripit. Confer. l. 21. §. 1. ff. eod. l. si saccum 29. ff. Depos. Quo sensu Paulus Jctus rigidam Creditorum exactiorem coërcet, quod quamvis Debitores statim debeant solvere, non tamen Creditores eosdem statim cum sacco adire debeant l. Quod dicimus 105. ff. de solut. Confer. l. fin. ff. ad l. Commissor. Et huc, quos Juvenal. Satyr. IV, habet, quadrant Versus:*

Interea pleno cum turget sacculus ore

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et Martial. l. II, Epigram. 4.

Nescit

Nescit sacculus ista meus.

Vid. Adrian. Turneb. l. 9. Adversar. cap. 17. Joh. Calvin. Lexic. jur. voc. saccum. Stephan. Forcatul. in Nemyomant. siv. de occult. Jurisprud. Dial. 28. num. 3. Alibi Ulpianus hac phrasi utitur; in sacculo solve*re* l. sed & si 25. vel ut alii allegant l. Adhuc. §. Quid tamen ff. de Usufr. Quod idem videtur esse, ac incertam pecuniæ summam offerre, quo respectu etiam idem Ulpianus ad invicem opponit numerare pecuniam, & in sacculo dare l. statu liberos 3. §. 6. ff. de statu lib. Eodem sensu, sed verbis paululum mutatis id effert Callistratus JCrus in l. cum servus 82. in med. ff. de Condit. & demonstrat. Ubi dicit; In folle reliquum offerre. Unde Juvenalis alio loco.

Si reddat veterem cum tota arugine follem.

Hinc & in Proverbium ivit; in folle offerre, quo Authores utuntur pro in explorato, inexplicato & confuso, notante Erasm. Roterod. Chiliad. 4. Centur. 9. Proverb. 37. Quanquam & follis aliquando pro certo aureorum nummorum genere accipiatur, ut in Rubr. & l. 2. C. de Prator. & Honor. Pratur. & collation. & gleba & folli & c. Olim enim Arcadii Principis ætate, Præturam ineuntes Magistratus à popularibus follem, clavem, & glebam accipiebant, in fœderis & recognitionis symbolum, ut observat Stephan. Forcatul. Nemyomant. Dial. 7. n. 6. qui ritus abrogati per d. l. 2. C. de Prator. Quantitatem verò follium determinant fuisse siliquæ partem XII. Godofred. ad Rubric. C. de Prator. lit. D. Et quamvis illa aliter explicet Forcatul. d. l. in fin. & per oblationem follis intelligat, quod populares follem seu crumenam obtulerint, & hac ratione se omnem pecuniam Prætoribus offerre simulaverint, & collationem æris se facturos tacite promiserint. Hæc tamen explicatio Forcatuli cerebrina videtur, & hinc merito à Godofred d. r. ad nugas refertur. Nam & apud Græcos Φόλλις obulum significat, ut ex Suid. & Eustath. notat Scapul Lexic. Græc. dict. voc. & id insuper Auctoritate Harmenopuli sive Justiniani in lib. πρὸ νόμων γεωργικῶν Tit. πρὸ κλοπῆς manifestè satis probatur. Godofred. d. l. Calvin. Lexic. voc. Follis Confer. ex Cod. Theodos. l. 2. & 3. Quor. appellat. non recip.

Sed hæc obiter & occasione nobis in legibus suppeditata. Ad saccularios revertimur, & ex superioribus manifestum satis esse, unde

- de derivatum nomen hoc, auguramur. Differunt autem à Sacculariis Saccophori, quos in Hæreticorum numero recensent Imp. Theodos. & Valentin. in *l. Arriani 5. C. de Hæret. & Manich Ludovic. Cæl. Rhodigin Lætion Antiquar. lib. 25. c. 20. ult. fin.* Alii quoq; Saccarii, qui saccis merces transferre solent, & exinde quæstum facere, quos Germano idiomate *Sackträger* nuncupamus; Hinc Paulus Jctus, si quid ex sacco Saccarii cecidisset, dicit in *l. qui fundum 40. §. 3. ff. de Contrah. Empt.* unde *Apulejo* saccariam facere, idem est, ac in ea negotiatione versari, quæ circa saccos versatur. *Calvin. Lexic. jur. vocat saccariam.* Aliis quoq; Græcis saccus *θύλακ* dicitur, à quo *θυλακώδης, θυλάκιον, θυλακίσκιον.* Quam originem quoque agnoscunt *θυλακόφοροι*, qui ad saccarios referri possunt. Thylacophori enim à Græcis appellantur illi, qui sacculis scorteis aromata circumferunt; Siquidem conceptacula id genus thylacos dicunt, ac thylacia, unde & thylacitis nardus est nuncupata, quoniam ab negotiantibus ex Cilicia Syriaque saccis subvectaretur. Et huc quoq; spectare navem saccariam apud *Quintilian. lib. 8.* putat *Rhodigin. d. libr. 25. c. 20.* Alii etiam à sacculariis sunt Sacellarii vel Sacellani, qui Ministeriis Divinis occupati, à sacello, quod hodiè Capellam vocant, nominati *Joh. Calvin. d. l. voc. sacellum* Interim si à sacellio nomen Sacellarii flectere velis, eodem cum Sacculario gaudebit significatu; Nam sacellium pro marsupio capitur, quod balantium vocant Græci, ut observat *Ludovic. Cæl. Rhodigin Lætion, Antiquar. libr. 10. c. 2.* Cæterum quod *Budeus* in *annotat. poster. ad ff. in d. l. saccularii*, legat Calcularii, quos similes dicat Aristoteles Dialecticis, in eo communiter refutatur *Vid. Petr. Greg Tholos. Syntag. jur. univers. lib. 37. c. 14. n. 7. Stephan. Forcatul. Nevyomant. Dialog. 28. n. 4. in fin.*
- Tantum circa ipsam Saccularii vocem; jam quomodo eosdem describat Jctus Ulpianus in nostra *l. saccularii*, subjiciendum. Verba ita sonant: *Saccularii sunt, qui vetitas in sacco artes exercentes partem subducunt partem subtrahunt.* Retinebimus hanc Jcti descriptionem non attento, quod specialior ea videatur, quàm quæ ad species varias in capite sequente proponendas, possit ex arte applicari; Interim hac commodè intellecta, facilius si-
- milium

C A P U T I.

miliū specierum explicatio erit. Definitum quoad derivationem suam sufficienter satis explicatum. Quæ Homonymiam vel Synonymiam sapere videbantur, capite subsequo commodiore ansa tractabuntur. Tantummodo illæ quæ in definitione ipsa occurrunt locutiones, ab ambiguitate liberandæ. Dicuntur Saccularii artes veritas exercere. Artis vocabulum μέσων videtur esse, dum ad partem utramq; si absq; Epitheto positum, trahi commodè potest; Sic Ars Mathematica damnabilis dicitur l. 2. C. de Malefic. & Mathematicat. Ars Ludrica l. 14. ff. de Pœn. l. 3. & 4. ff. de his qui not. infam. l. 42. ff. de Rit. Nupt. quanquam & interdum absq; adjectivo Artis vocabulum simpliciter positum, sequiori significatu accipiatur, ut est textus in l. unic. C. de his qui ad stat. confug. Sic ergo & in nostra Lege artes accipiendas in deteriore partem manifestum est, præsertim, quod veritæ artes appellentur. Et sic per artes veritas hoc casu intelligi poterit, nō tantum intentio delinquendi nuda ac simplex; Sed & certa præmeditatio, quâ artificiosè & ne in oculos hominum incurrat, quod meditabantur secum, effectui dare possint. Hinc, quod Ulpianus in l. 1. § 1. ff. de Abigeis dicit, quod abigendi studium quasi artem exercent, ad Saccularios nostros traduci commodè potest, qui furandi studium tanquam artem exercent, Stephan. Forcatul. Nelyomant. Dial. 28. n. 4. Subducere autem communiter Doctores in hac lege ad magicas artes trahunt, & hinc Saccularii olim credebantur malefica & magica arte Sacculos, in quibus homines pecuniam gerunt, incantare; & nummos subducere Adrian. Turneb. lib. 9. adversar. c. 17. Anthon. Mathæus de Criminib. libr. 47. ff. tit. 11. n. 3. Henric. Zes. Comm. ff. de Extraord. Crimin. n. 4. Joh. Jac. Wissenbach P. 2. ad ff. Exercitat. 31. thes. 14. Jacob. Cujac. 10. observ. 27. Subtrahendi verò Verbum ad manuum agilitatem videtur referendum, quæ tanta in his hominibus sceleratis est, ut ingenium omne in digitos abiisse videatur, notante Anton. Matth. d. 1. & hinc subtili ingenio auferre aurum norunt, ut in simili loquuntur Imp. in l. 2. C. de Commer. & mercator. & sic subtrahere idem est, quod clam furto auferre Vid. l. Tres fratres 35. ff. de Pact. Interim & subducendi & subtrahendi verba, tanquam synonyma, ut alterum altero eò commodius explicetur, hic posita esse

B

se

se, assertum non adeo absurdum, cum nec id alioqui in Jure nostro infrequens sit. Et subducere aliquando idem significat, quod subtrahere vel auferre inopinantibus, quo sensu *Plautus in Curculione*.

Propino magnum poculum, ille bibit;

Caput ponit, cum dormiscit; ego ei subduco annulum.

Et eodem planè significatu hoc verbo utitur Poeta:

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Sicut hac ratione præfatum subductionis verbum explicat *Petr. Gregor. Tholosan. Synt. jur. univers. lib. 37. cap. 14. n. 7. Vid. Bonifac. de furt. §. furtum n. 69.* Et hinc copiosè dictum esse à JCo, subducunt, vel subtrahunt, pro clam furantur incidendo, vel aliter auferendo, observat *Stephan. Forcatul. Necyomant. dict. Dial. 28. n. 4.* Imò si subductionem de magicis artibus quis explicare velit; tunc hoc delictum propter Crimen Magiæ concurrens graviori pœna afficiendum, quam quæ expressa in *dict. l. Saccularii* uti benè notat *Oswald. Hillig. in Donell. libr. 15. Comm. c. 29. lit. B.*

16. Hæc quantum ad explicationem Verborum descriptionis ab *Ulpiano* quoad *Saccularios* propositæ, sufficient. Jam ad alteram *Delinquentium Speciem* ab *Ulpiano* propositam, *Directarios* scilicet progrediendum. De his hæc in textu verba: *Item qui Directarii appellantur, hoc est, qui in aliena cœnacula se dirigunt*
- 17 *furandi animo.* Vocem *directarii* quod concernit, ex subjecta descriptione innuit satis *JCrus*, unde eadem descendat, videlicet à *dirigendo*; Nam in alienam domum se dirigere, perindè est, ac ingredi, notante *Petro Crinit. de Honest. disciplin. libr. 17. cap. 8. Jacob. Menoch. Arbitr. Jud. Qu. Libr. 2. cas. 299. num. 7.* Sicut & hæc acceptione vocabulum *dirigere* in Græcam versionem translatum est, οἱ διαίταις ἀλλοτρίαις διὰ τὸ κλέψαι ὑπειπίοντες, quæ verba habentur in *Synops. Basilic. edita per Job. Leunclavium libr. 15. pag. 166.* Vel ut *Glossæ veteres* *Directarios* describunt, οἱ εἰς τὰς ἀλλοτρίαις ἐνεκεν τῆς κλέψαι εἰσερχόμενοι οἰκίας ut referunt *Godofred. ad hanc l. saccularii lit. A. Cujac. libr. 10. Observ. 27.* Eodem ferè modo *Julius Paul. Receptar. Sentent. libr. 5. tit. 4. §. 8. Quoties quis pulsatur, vel cujus domus introitur ab his qui vulgò Directarii appellantur; Quod* expli-

explicatius reddit *Cujac. in not. ad dict. §. 8.* Qui se fraudulenter per
 regulas, vel alio modo in alienas ædes dirigunt, vel qui directè in
 cœnacula eunt arte maleficâ, sicut Directarii vocem explicat *A-*
drian. Turneb. libr. 9. Adversar. cap. 17. in fin. Alii Directarii legere 18.
 malunt, sed res eodem recidit, cum & derigere & dirigere pari si-
 gnificatu dicatur. *Cujac. ad Jul. Paul. d. l. Godofred. ad dict. L. Sac-*
cularii. Alii Defectarii, quos corripit *Scipio Gentilis Origin. libr.*
Singular. qui extat post libros Parerg. ad ff. voc. Directarii pag. m. 250.
Jacob. Cujac. lib. 10. observ. 34. Alii Diætarios legunt, quod se in ali-
 enas diætatas vel cœnacula dirigant *Ludovic. Cæl. Rhodigin. in lection.*
Antiqv. libr. 25. cap. 20. Turneb. d. l. Sed de hac voce in capite se-
 quente dicendi suppeditabitur occasio. *Hottomannus* pro Directari- 19.
 us Dierectarius potius legendum existimat; vocabulo à dierectus de-
 ducto, quo *Plautum* sæpius usum fuisse dicit. Dierectum autem esse,
 ex *Nonii* interpretatione, crucifixum, quasi ad diem erectum. Et sic
 perditos & facinorosos homines appellatos fuisse, quasi suspendio-
 sos, sive suspendio dignos, quos & in vernacula lingua *Ungehange-*
ne Henckermäßige Diebe / vel Galgenschwengel appellare sueverunt
Vid. Job. Calvin Lexic. Jur. voc. Directarii. *Hottomanno* calculum
 adjicere videtur *Scipio Gentil. Origin libr. singul d. l.* ubi hæc habet;
 Directarii tamen inde appellari potuerunt, quod in alienas se diæt-
 atas erigerent, quasi directarii, ut apud veteres *directi* dicebantur ad
 crucem suffixi, quasi in diem erecti, teste *Nonio*: Hæc ille. Interim
 nulla, quæ urgeat, adest necessitas, quo minus primam illam, ubi à
 dirigendo Directarii dicebantur, originem retineamus: Quippe illa
 à *JCto* ipso haud obscurè insinuata, & Crimen Directariatus com-
 modè satis exprimere videtur, ut ea propter ad vocis mutationem
 & remotiorem derivationem minimè procedendum. Accedit & 20.
 hoc quod illæ voces, quibus in Græca lingua Directarii exprimun-
 tur, cum illa acceptione quâ usus *JCtus Ulpianus* in nostra Lege,
 harmonicè satis conspirent. Dicitur enim Directarius Græcis
Τειχοβάτης quasi muros conscendens, sive per muros se dirigens.
 Huc pertinent illa ex parte, quæ *Flavius Vopisc. lib. 3. Histor. ad Bessum*
habet: De Carino, inquit. & Numeriano A. A. memorandum id est, quod
ludos Popul. Roman. Spectaculis ornatos dederunt. Inter alia enim exhibi-
bitus est Τειχοβάτης, qui per parietem urso eluso cucurrit, sicut hæc ex

Vopisc. refert Petr. Crinit. de Honest. Disciplin. libr. 17. c. 8. in fin. Vocantur etiam εἰσπηδησιῶνες & ἐπεισπηδηται, uti ex libris Ulpiani de offic. procons. notavit Jacob. Cujac. libr. 10. observ. 34. Godofred. ad h. l. Saccularii lit. A. Quod vocabulum ab εἰσπηδᾶν deductum, quod Latinis est insilire, vel saltu irruere; Hinc Demosthenes alicubi εἰσπηδησάν εἰς τὴν οἰκίαν, per saltum se conrulit vel direxit in ædes.

21. Constat ergo hoc modo de Directarii derivatione & significato, quæ ipsa indolem insuper hujus Criminis genuinam sufficienter satis demonstrant: Et facilia hoc pacto reliqua quæ Ulpianus de Directariis in Lege nostra habet, erunt verba. In cœnacula se dirigere dicuntur, quod hic per Tropum dicitur, ac sic idem est, quod
22. in ædes dirigere: Cœnaculum autem partem ædificii superiorem significabat, ad quam scalis ascendebatur, quia olim inibi cœnare solebant, ex quo postmodum superiores contignationes cœnacula dicta fuerunt, uti patet ex l. 3. §. 4. ff. de offic. Prefect. Vigil. ubi quisque inquilinus in cœnaculo aquam habere debet, incendii avertendi causa; quod explicant de aqua in superiore ædium parte habenda. Hæc cœnacula postmodum locare solebant ædium Domini, & hinc
23. dicebantur cœnaculariam facere. Et cœnacularius dicebatur, qui cœnacula inhabitabat, l. 11. §. 5. in fin. ff. de pignorat. Act. Et quia multa secum incommoda ferre solet, superiores ædium partes inhabitare, eo viliori pretio locabantur cœnacula, quo altiora essent; Hinc quæ omnium tenuissimi erant, cœnacula tegulis proxima conducebant, quo pertinet illud quod Prudent. libr. 2. contra Symmach. habet:

Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
quo itidem respexit Juvenalis Satyr. 3. dum summa cœnacula inhabitantes his versibus describit:

Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi ponunt ova columba

- Dicebantur hi etiam tribus scalis habitare, de quibus ad Adrian. Turneb. libr. 13. adversar. c. 11. Et hæc cœnaculi acceptio optimè facit ad describendum ingenium Directariorum, qui per supremas ædium partes, per tegulas etiam se in cœnacula dirigere solent, vel per fenestras in alienas ædes scandunt, atq. ita furandi animo intro-
- eunt

eunt *Cujac. lib. 10. observ. 27.* Interim uti dicebamus antea; Tropi-
câ acceptione nobis vocabulum cœnaculi veniet, pro ipsis ædibus,
& quicumque se tam per inferiores quàm superiores ædium partes
in domicilium alterius direxerit, hic nobis Directarius erit. Et hæc
omnia clariora evadent ex capite jam sequente, ubi diversas Saccu-
lariorum & Directariorum species ordine proponemus.

CAPUT II.

DE

SACULARIORUM ET DIRE-
CTARIORUM GENERIBUS.

SUMMARI A.

- | | |
|---|--|
| 1. Sacculariatus & Directariatus
variat pro circumstantiis | 14. Explicatur L. 6. § fin. ff. ad L.
jul. peculat. |
| 2. Prima Sacculariorum species in
Lege continetur. | 15. Applicatur ad Saccularios. |
| 3. Saccularii quales Accursio di-
cantur. | 16. Quid sit finum furanti præbere. |
| 4. Defenditur Accursii explicatio
à Petri Criniti censura. | 17. Ad Saccularios quoq; referun-
tur ludo decipientes. |
| 5. Exemplum Accursiani Saccularii. | 18. Ad Saccularios referri possunt
die Taschenspieler. |
| 6. Qui Zuntatores vel Giuntatores. | 19. Item Tesserarii & Fritillarii
&c. |
| 7. Ad Saccularios pertinent Crume-
nifeca. | 20. Sed quid de ollas fortune circum-
ferentibus. |
| 8. Qui & Βαλαντιόμοι Græci di-
cuntur. | 21. Contractus sortium quis? |
| 9. Item Zonarii. | 22. Olla fortune uti, an & quatenus
licitum. |
| 10. Ut & Manticularii. | 23. Consultius ejusdem usum in Rep.
non admittere. |
| 11. Et Bursicopi | 24. Directariorum aliquot species. |
| 12. Quorum fraudes historia qua-
dam declarantur. | 25. Ad eos pertinent fures, clavibus
adulterinis utentes. |
| 13. Et Machinæ eorundem uberius
exponuntur. | 26. Ut & forium effractores |

27. Et Apertularii.

28. Qui τειροβάται dicantur.

29. Alii ad Directarios Dietarios referunt.

30. Qui Dietarii in jure dicantur,

31. Qui Zetarii

32. Qui junctatores.

33. Bomolochi quoque huc pertinent.

1. **V**ariari delicta ex circumstantiis tralatitii juris est. Hinc difficillimum fuerit, certi aliquid in his determinasse. Sed non omnia crimina eodem modo sunt incerta. Restrictam horum aliqua habent naturam, aliqua verò latissimam ac undiquaque se diffundentem. Illorum facilius cognitio est, horum difficilior; Quod ex Sacculariorum & Directariorum diversis speciebus apparebit. Hæc enim delicta non uno perpetrantur modo, sed mille rethnas excogitavit seculi nostri sequioris nequitia, quibus alios bonis suis fraudulenter spoliarent. Adducemus ergo ordine illos delinquentes, qui vel Sacculariorum vel Directariorum nomine exprimi poterant commodè, vel ad hos ad minimum referri.
2. Prima Sacculariorum species in Lege nostra expressa; qui scilicet *vetitas in sacculo artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt*; quam Ulpiani descriptionem capite præcedente specialem esse diximus, ut inde meritò inter species Sacculariorum referri possit. Sed quales hi sint, ex explicatione eodem capite proposita nemini non manifestum est. Ad hos autem referimus illos, quos
3. *Accurs. in Gloss. ex Azone ad d. l. 7. ff. de Extraord. Crim. describit ita. Saccularii sunt. qui saccos ferunt plenos mercibus falsis, & falsis nummibus, & cum eis solvitur pro merce pecunia, partem pecunie furantur, negantes se accepisse quantum acceperant, & quod reddunt, ex parte fuit dantis, ex parte eorum tantum, & ideo fallunt, retentâ bonâ pecunia, cum sibi cambiri traditam poscunt.* Postea aliam sacculariorum vel speciem vel descriptionem subicit idem *Accurs. d. l.* ubi Saccularios dicit illos, qui in saccis portant merces, & quidem diversas ac contrarias in eodem sacco; in superiori parte merces bonas, in inferiori verò corruptas.
5. Ita ex facto ipso & Experientia sacculariorum ingenium describere maluit *Accurs.* quam in otioso Syllabarum indagine occupari, ut inde immeritò vapulet à *Petro Crinito de Honesta disciplina lib. 17. cap. 8.* ubi hæc quoad jam propositam *Accursii* explicationem nostræ legis habet: *Utrobique ridiculus est Accursius: Nisi veniam dare homini*

homini malis quoniam rudi seculo ac planè illiterato natus. Sed retine-
 ri tamen ejus nugas, & hæc ætate à nostris J. C. is defendi, id ego vix fe-
 rendum existimo. Hæc ille; & in sequentibus adhuc plura, ubi quos
 ille per calumniam Legulejos. à Romanis studiis & melioribus dis-
 ciplinis abhorrere dicit. Sed danda venia Grammaticis ingeniis
 est, quibus quasi ludibrio expositus Accursius, quæ tamen minimè
 attendunt, quænam Accursii in glosis suis conscribendis fuerit
 intentio, non enim verbis sed rebus litavit potissimum, & se sine
 suo potitum, si quæ obscura in legibus videbantur, vel simili quo-
 dam, vel parallelorum textuum collatione, dederit explicata, exi-
 stimavit. Et hinc exiguum laudis meruit Crinitus citat. loc. ridicu-
 lam Accursii explicationem vocando, suam verò sententiam planè
 o mittendo, ut hinc meliori meritò ac Accursius à Crinito, Crinitus
 à Stephano Forcatulo Necyomant. Dialog. 28. n. 4. in fin. reprehenda-
 tur; Petrus, inquit, Crinitus, qui nihil aliud, quam aliena transcribit,
 in librù de honesta disciplina, nuda verba Ulpiani posuit, interpretatio-
 nis securus. O Cautum hominem magis quam doctum! Cæterum, quod
 Accursio injuriam intulisse Crinitus non fuerit contentus, sed & ali-
 os Juris Cultores à melioribus disciplinis abhorrere dixerit, id ex
 eodem ingenio trahit ortum, quod per integros annos in gerundi-
 is, supinis, ablativis, absolutis excutiendis, in particulis nisi, de, in,
 ubi, punctis etiam, & cæsuris occupatum, qualia ingenia, ut Gram-
 maticam solam in Jurisprudentiam transfundere parcant, & se tan-
 dem J. C. is recoquenda & dedocenda dent, graviter monet Jacob.
 Cujac. lib. 10. observat. cap. 27. princ. sed hæc obiter.

Quod autem hujus generis Sæcularii dentur, quales Accur-
 sius superius adductis verbis describit, indubium est; Quamvis e-
 nim non semper in saccis corruptas merces vendant, idem tamen
 erit, si alia ratione fraudes ac machinationes in venditionibus mer-
 cium committant, hi enim sacculo tantum, non malevola intenti-
 one ab Accursii Sæculariis differunt; Tales sunt illi, qui defectus &
 vitia rei vendendæ occultando, qualitates non existentes ostentan-
 do, & variis mendaciis & artibus e mentes decipiendo & seducen-
 do, sibi iniquitatis thesauros parant, prout eos describit Matth. de
 Afflict. libr. 3. const. Regn. Rubric. 35. de fid. Mercator. in vendend. mer-
 cib. quem citat & sequitur Petr. Caball. Resolut. Criminal. Centur. 2.
 Cas.

50

Cas. 177. num. 5. subjicit Exemplum hujus farinae hominis, qui in diversas Provincias miserat Crocum seu Zafferanum fallum, pro vero & bono, qui utique ad mercium corruptores poterit commo-
dè referri.

6. Huc pertinent illi quos vocant Zuntatores, qui ab aliis Giun-
tatores dicuntur, homines certè nequissimi, qui gemmas fictitias
ac adulterinas minimi valoris pro veris vendunt, & magno pretio
vendunt, colore quæsito, quasi alicui Principi vel Papæ vel alii in
dignitate constituto fuerint subtractæ, ut eò majorem fidem mere-
antur. *Hippol. de Marsil. Singular. 318.* quos ipsos quoque Saccula-
rios expresse vocat. *Petr. Caball. d. Cas. 177. Vid. Joh. Baptist. de Sanct.
Severin. in repetit. l. cunctos populos in 10. in 1. coll. circ. princ. C. de
Summ. Trinit.*

7. Porro non inconvenienter Sacculariis annumerantur illi,
quos Crumensecas, vel Marsupiorum incisores vocant communi-
ter, German die Beutelschneider. Crumenas quippe suspensio sac-
culorum facit, nam κρεμάω unde Crumena, suspendo est. Sæpius
enim geruntur suspensæ viris crumena, quas excindunt fures illi
Saccularii, vel è peris subripiunt; Sunt verba *Petr. Gregor. Tholos.*

8. *Syntagmat. libr. 37. cap. 14. n. 8.* Græci βαλαντιομοίς appellant e-
osdem *Petr. Gregor. Tholos. d. loc. Anton. Matth. de Crimin. libr. 47.
ff. iij. n. 3.* eodem planè sensu quo Latini Crumenisecas, quippe
βαλάντιον vel βαλάντιον ipsis Crumenam seu marsupium signifi-
cat. Hinc verbum descendit βαλαντιομοίειν, quod *Plato libr. 1. de
Republ. effert βαλάντια ἀποτέμνειν Confer. Ludov. Cael. Rhodigin.*

9. *Lectio. Antiquar. libr. 10. cap. 6. in fin.* Alioquin etiã Zonarii ap-
pellantur, vel Sectores Zonarii, ut apud Plautum, sed eodem si-
gnificatu, quo Marsupiorum incisores. Zona enim nummorum
loculamentum est teste *Lampridio in Alexandr.* quem citat *Dion. Go-
dofred. in l. 6. ff. de Bon. Damnat. lit. t.* ubi notat Zonam ademptam
fuisse illis, qui bonis cedere volebant, & sic Zonæ privationem
Symbolum cessionis fuisse.

10. Appellantur etiã Manticularii, qui sunt fures se inferentes
confertæ multitudini, marsupia aut secantes, aut artificio dolose
aperientes & evacuantes, uti ex *Festo* eos describit *Calvin. Lexic.
Jur.*

Jur. Voc. Manticularius. Appellantur itidem Bursicopi *Jodoc. Dambouder. Pract. Rer. Crimin. cap. 112. n. 18. B. Dn. Carpz. in Prax. Rer. Crim. Quest. 81. n. 29.* Sive Bursarum abscissores: Nam & Bursa marsupium dicitur. Crimen hoc notum in vulgus est, & plerisque ferè mundanis ejusdem effectus experimur, frequentatum magis est in Gallia, ubi certas & magnas inter se contraxere societates, & tot clandestinis machinationibus pecuniam subducere norunt, ut in admirationem rapiant quemvis, dum prudentissimos haud rarò fallunt, quibus tamen talium Sacculariorum technæ optimè erant perspectæ. Extant integri hâc de re libelli callidissimorum horum nequam fraudes commodè exprimentes, quorum & Germanico Idiomatice conscripti quidam von der Beutelschneideren, conf. Henrici Knausten/gegen un̄ wieder die Spisbuben/so hin un̄ wieder in den Landen irre lauffen und manchen Ehrlichen Mann bettigen/etliche nothwendige Fragen mit ihren *resolutionibus*, qui libellus impressus Erphordiae Anno 1575 in octavo; quem quidem allegatum vidimus, nullibi tamen ejusdem compotes fieri potuimus.

Ut autem de horum fraudibus eò melius constet, non ingratum Lectori existiturum auguramur, si Historiam quandam, quæ in rei veritate contigit de Sacculariorum machinis subnectamus; Recenset eam *Jodoc. Dambouder. cit. loc.* his verbis:

Dexterrimus aliquis & in hac arte furandi astutissimus Saccularius, quondam Antverpie, in aede Virginis Mariae quatuor aut quinque Mercatores Brugenses conspexerat, & horum unum altari cuidam incumbentem in re divina: Latenter is fur aggreditur, astat, & Crumenam Mercatoris ex pera (quam sub toga suspensam habuit) subripit, in qua fuerant plus minus 100. Carolini. Mercator domum reversus, subreptam Crumenam comperit, tacetq; ne aliis risui fieret. Proximo die Dominico, eodem in altari breviori pallio amictus denuò incumbit, peramq; rursus apertius ostentat. Accessit idem latus hians, crumenamque tentat. Mercator ipse manus per sentis ceus otius se erigit, furem capillis comprehendit. Vale (inquit) fur nequissime, tu es qui superiori Dominica hic crumenam meam surripuisti, eandem mihi otius redde, aut te hic comprehensum curabo. Fur veniam, & ne pudeat, rogat: Reddam tibi (inquit) omnem pecuniam tuam loco mihi per te designando. Hic Mercator, prandebimus, inquit, quaterni in Leone in foro, illuc mihi pecuniam referas volo, aut in

○

patibus

patibulum te abreptum curabo. Novi enim ubi habitēs, quidve exerceas. In prandium fur revertitur, pecuniam surreptam numerat, & ut factum secretum maneat, orat. Cum jisdem mercatoribus prandet. absoluto prandio a Mercatoribus rogatur, cur tam vili, & sceleroso crimini sese addixerit. Quid, inquit, facerem, huic furto à multis annis assuevi, & versatissimus, astutusque in eo evasi, ut jam vix me ab eo temperare queam. Si mei artificii specimen aliquod experiri cupitis, agite, contendo vobiscum periculo hujus symboli, quod alicujus vestrum crumenam surripuero proximo dominica, si ad templum vos venturos cura crumenis, promittitis. Mercatores conditionem accipiunt, & circa futuram dominicam singuli crumenas suas, quam possunt, abditissime occultant, alius in femorali, alius sub axillis, alius in tunica, quartus in ocreis. More igitur solito hi Mercatores templum adeunt, peracto sacro ad diversoriam redeunt. Inter prandendum meminit unus eorum de fare, num quis eorum in templo vidisset, id singuli negabant. Hoc dicto fur ipse in coenaculum venit, convivas salutatur, rogat num memores essent pacti, octavo die inter eos initi, an nemo ipsorum perdidisset crumenam suam; singuli suas perquirunt. Unus atque alter dixerunt, ego meam habeo, alius ego quoque meam. Unus verò comperit partem manice suae cum crumena simul abscissam. Fur eandem illic tradit. Mercator rogat quibus technis id fecisset: Novacula, inquit, acuta, & pollice plumbato, in processione, & populi compressione. Hic cachinnus tollitur, artifex laudatur; à Prandio fur dimittitur & duobus aureis ornatur, ad saniores interim mentes, & ad resipiscentiam ipsum admonent.

13. Cæterum ut ex jam enarrata Historia & mille aliis abundè constat, quod Zonarii & Crumenifecæ ingeniosissimi plerumque homines sint, minus admirationis subest, quare tam diversimodè hoc crimen perpetretur. Etenim abscindunt alii crumenas, alii ex sacculo cautè subducunt, interdum se personas illustres esse simulant, & splendido comitatu incedunt, ut eò minor suspicio furti committendi adsit; In tabernas eunt, præcipuis se sociant, quoslibet discursus formare gnari. Interim vel ipsi vel ministri occasiones quærunt, vel pecunias cautè subtrahendi, vel si hoc nequeant, fidem sibi conciliant, prætextâ Domini auctoritate, quo merces qualvis ipsis fide hâbitâ credat mercator, Imò in tabernis sacculos plerumque subtrahunt ementibus; Vel ipsi dum quid emunt, pecunia

cuniâ adnumeratâ ac in sacculos repositâ, subtrahere sacculum iterum, & alium supponere solent. Exemplum hujus generis jucundum habet *Syneſius Epist. 127. de Euthalio Laodiceno*, de quo inter alia hæc habet verba: *Auditum tibi omninò est par illud marsupiorum, quæ multò Eumeli equi versatiora faciens, in uno quidem areos obolos, in altero aureos nummos condidit. Indè alternum horum ostendens, alterum occultans, ubi enumeraverunt, ubi appenderunt, ubi denique publico sigillo Aurum obſignarunt, clam alterum loco illius ſubjecit, & pro aureis obolos miſit. At illi in publicis Tab. confeſſi erant, penes ſe aurum eſſe, idq̃ quam primum perlaturus. Hac una res Euthalium in amplam fortunam provexit; Nulli enim riſus pro Republ. dolere permiſtebat; Sed utpote virum præ omnibus, qui unquam exſtiterant, præſtigiorum callidum videre geſtiebant. Hæc ille, ex quo quædam habet Cujac. libr. 10. obſerv. 27.*

Quia autem hoc genus Sacculariorum, quod circa marsupia ¹⁴ ſecanda vel incautis res ſuas cautè auferendas occupatur, certam ſociorum colluviem, prout jam annotatum alere ſolet, Rariſſimè unus ſacculariorum crimini patrando ſe accinget ſolus, ſed ſubſidiarios plerumq̃ue habebit comites, qui in omnem eventum ſubductas res vel celare vel domum portare ſæverunt, ne hæc ratione ἐπ' αὐτοφόρω ipſe qui furtum commiſerat, Saccularius deprehendatur. Hinc commodè ſatis huc referri poſſunt illi, quos Ulpianus in l. 6. §. ſin. ff. ad l. Jul. peculat. deſcribit ita. *Is autem qui, furandi ſinum præbuit, perinde habetur ac ſi manifeſti furti condemnatus eſſet, & famoſus efficitur. Tiber. Decian. Tractat. Criminal. lib. 8. cap. 28. n. 32.* Variant quidem Exemplaria, dum alia pro ſinum præbere, ſignum præbere legunt; Sed hæc lectio jam communiter ferè exploſa eſt, præſertim cum non ſignum præbere, ſed ſignum dare, puriori latinitate, quâ certè in Digeltis uſi ſunt JCrī, dicatur, & idem Ulpianus, qui d. l. 6. Autor eſt in l. 1. in ſin. ff. ad l. Jul. Peculat. phraſi hæc *Signum dare* utitur. Quamquam & retentâ vulgari lectione, fur ¹⁵ qui ſignum dedit, ab hac noſtra materia non adeo ſit alienus. Et geſtibus enim & nutibus ſibi occaſionem furandi oſtendere ſolent Saccularii, ut eò cautius mercari diſcant. Quod in Directariis magis frequentatum; his enim ſigna ſæpius dantur, & anſæ ſuppeditantur, quibus eò commodius in ædes alienas ſe dirigere poſſint;

Infuper aliqui in excubiis à Directariis constitui solent, qui si adventantem aliquem videant, Directario furanti Signum dent, ne deprehendatur; de quibus in excubiis constitutis agit, B. Dn. Carpz. Prax. Crim. Part. 2. Quest. 87. n. 34. Et in jurispru. Forens. p. 4. const. 39. Defin. 1. & seqq. Retentâ autem prima lectione, qui furanti sinum præbuit, commodè ea Sacculariis poterit applicari; Sinû enim præbere furanti est partem vestimenti laxiorem (quæ solebat in humerum rejici) pecuniæ scilicet reive aliterius furivæ suscipiendæ, atque in occulto habendæ gratiâ, furi accommodare; Godofred. ad d. l. 6. §. fin. lit. T. Adrian. Turneb. libr. 2. Adversar. c. 26. & lib. 6. cap. 7. Sinus enim togæ partem quoque significat, quo sensu apud Sueton. in vit. Jul. Caf. cap. 82. hæc vox reperitur, ubi cum Julius Cæsar tribus & viginti plagis confoderetur, eundem togâ caput obvolvisse, simul que sinistra manu sinum ad ima crura deduxisse annotat, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velatâ, quam lectionem pluribus persequitur, & ex more suo accuratè satis deducit Petrus Faber San-jorian JC. l. 1. Semestr. cap. 22. vers. sed ad alios.

17. Sed quia Sacculariis non semper Marsupia secandi datur ansa; Aliis fraudibus pecuniam elicere satagunt. Nihil autem frequentius contingere solet, quam, quod ad chartarum ludum illum quem emungere pecuniâ volunt, provocent, imperitissimos se in hoc exercitio simulando. Et hic chartas lusorias adeò artificiosè permixtas habent, ut primâ vice palmam alteri permittant, ut eò audaciorem reddant eundem, postmodum pecuniis expilando iterum chartas spem victoriæ promittentes dant, qui doli experts, facilè maximam pecuniæ summam, quod victor sit exiturus, per sponsonem promittit; Sed ex eventu, se miserè esse deceptum, satis serò persentiscit. Et hi sunt illi, quos vulgus die Spißbuben, die Dopler nominat. Quod genus scelestissimorum hominum, quia notum in vulgus est, pluribus describere nolumus.

18. Deinde ad hos Saccularios referri poterant illi, quos Germanicè appellamus die Taschen-Spieler / quos Bonifac. de furt. §. 1. n. 69. describit; Quod sint Præstigiatores quidam, qui saccis, hoc est, loculis quasdam artes exercent, aliud agentes, aliud agere simulantes. Sive qui digitorum agilitate spectantium oculos perstringunt, qui & joculariores appellantur Petr. Caball. Resolut. Criminal. Cas. 177.

n. 7. Confer. Ludovic. Roman. Singular. 712. Uade Germanorum vox ein Gaukler descendit, quod Saxones efferunt ein Jöfeler à Joculari deductum. Quod hominum genus frequentissimum hodiè in nundinis est, quorum admiranda quidem agilitas est, quâ fascinare quasi oculos astantium existimantur, dum ex Sacculo suo vacuo, nescio quòt ova aliasque res proferre norunt, ut ita spectatoribus risum excitent, & insuper hac ratione nummos sibi parent: Hujus farinae quoque sunt *Tesserarii*, sive *Fritillarii*, à fritillo dicti; Est autem fritillus vasculum buxum longum & teres, è quo mitterentur tesserae vel tali in tabulam, qui fritillus etiam turricula aliquando dicitur: Nam vasculum illud oblongum & teres imaginem & effigiem rotundae turriculae praebebat, ne igitur improbâ fallaciâ manu, bolos, quos vellent aleatores veterani jaectarent, aliosque fallerent, excogitatum fuerat ad fraudem tollendam, ut per pyrgum mitterentur tali; intus autem pyrgus excavatus erat gradatim, exsculptusque, ut agitati concussique tali, in graduum ostendentes supercilia, voluntarentur, incertiorque jaectus esset. Sunt verba *Adrian. Turneb. lib. 6. Adversar. cap. 3. Job. Calvin. Lexic. Jur. voc. Fritillus.* Quae ferè & hodiè ita observantur, ubi per fundibulum talos mittere solent, pecuniâ in inferiori tabulae parte in certis cellulis dispositâ, ut illius cellulae pecunia in quam ceciderit talus cedat victori. Pertinent huc *Circulatores*, *Agyrtæ*, de quibus *Anon. Matth. de Crim. lib. 47. ff. tit. 5. cap. 4.* Item *Funambuli*, qui omnes in scenam prodire, ac artes ludicras exercendo victum sibi parare solent.

Sed quid de illis, qui Ollas Fortunae circumferunt? Vocatur 20. hæc olla vel urna fortunae Germanis *Glückstopff / Glückshafen /* Et alias quoque dicitur contractus sortium sive Loterie, item *la raffe & riffe*, quas appellationes proponit *Martin. Delrio Disquisit. Magicar. Tom. 3. lib. 4. cap. 4. Quest. 2. Christoph. Ludovic. Dieter. Addit. ad Besold. Thesaur. Pract. voc. Glückshafen.* Non autem quærimus, de tali sortium contractu, quando certi homines inter se conveniunt de Equo e. g. emendo, & quilibet partem suam contribuit, ut postmodum sorte experiantur, quis equum habere debeat, cujus contractus justitiam prolixè satis persequitur *Ludovic. Molin. de just. & jur. Tract. 2. Disp. 509. tot.* Sed de Olla Circumferaneorum quærimus, qui res suas venales schedulis inscribunt,

mixtis pluribus schedulis, quibus nihil inscriptum, & postea certum exigunt pretium pro quavis schedula extrahenda, promissa in casum felicitis schedulae extractae, re illa, quae in extracta schedula notata, ob quam lucrandi spem extrahens est contrario ad amissionem pretii se obstringit, si vacuum schedulam extraxerit. Modus hic lucrandi notissimus est, ut sic prolixiori descriptione egeat minime. Id tantum modo breviter discipiendum, an eiusmodi acquisitione per ollam fortunae licita sit an non? Et Affirmare hoc ipsum nulli veremur, si in abstracto ollam fortunae consideremus, per rationes satis perspicuas in capite sequenti adducendas. Modo tamen hoc ipsum publicam auctoritate fiat, sicut & fieri solet, ut quidam ex Senatu adjungantur, qui accuratè inspiciant, ne major numerus schedularum infelicitum in ollam injiciatur, quam ferat aestimatio mercium forti expositarum. Hinc si merces expositae essent centum thalerorum, & pro qualibet schedula extrahenda solvendus esset grossus 24000. schedulae in urnam essent injiciendae *Dn. Struv. Syntagm. jur. Exerc. 15. th. 58. Martin. Delrio. Disquisit. Magicar. cit. Quaest. 2. per tot. Molina dict. Disp. 509. Webner. observat. Pract. voc. Glückshafe Confer. Dn. Harsdörffer in dem grossen Schauplatz/ Lust- und Lehr-reicher Geschichte sub. Rubric. der Glückstopff tit. 198. ubi rationes ab utraque parte pro & contra fortunae ollam profert, & requisita in permissione ejusdem servanda subnectit.*

23. Sed certè eiusmodi homines ollam fortunae circumferentes, non multum à Sacculariis videntur alieni, dum enim expressè furtum committere pudori sibi ducunt, variis tamen artibus pecunias aliorum subtrahere student. Hinc merces suas in olla fortunae exponunt, planè non hac intentione, quasi vendere easdem vellent, sed ut tantum incautam plebeculam, lucri spe allectam, pecuniis hac ratione emungant. Et quanquam inspectores publici adhibeantur, qui fraudibus sceleratorum obviant, vix tamen hi huic malo tollendo erunt sufficientes; Nam callidissimi illi Ollarii sunt, & his etiam praesentibus, infelices notas in urnam immittere norunt, ut sic nunquam hoc hominum genus à fraudibus semotum videatur. Hinc consultum alii existimant, hoc genus acquirendi in bene constituta Republ. non permittere, sed ob fraudes maximas, quae hic ferè nunquam absunt, è Republ. funditus eliminare. *Casper Klock de Aërario*

*Ærar libr. 2. cap. 118. n. 4. Bornit. de Ærar libr. 2. cap. 4. Besold. The-
saur. Præf. voc. Glückshafen. & quos ibi alleg. Dieter. in not. inter
quos D. Conrad. Schlüsselbergers bedencfen vom Glückstopff. Ahasver.
Eritfib. de Monopol. cap. 12. n. 31.*

24.

Præfati ergo potiores sceleratorum sunt, qui Sacculariorum ingenio præditi videbantur. Iam paucis subjiciendum, quinam ad Directarios in Lege nostra descriptos referri poterunt. Dicuntur autem in *d. l. 7. ff. de Extraord. Crim.* Directarii qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo, uti capite primo dedimus explicatum, quæ, quantum verborum intellectum attinet, non repetemus; Quoad sensum verò paulò clarius ex variis speciebus eadem proponemus. Pertinent itaque ad tales Directarios ejusmodi fures, qui velut aliquid negotii habentes in cœnaculis aliorum, repunt in ea, & se occultant, ut si non detegantur, liberè auferant. Et hoc ipsum hac ratione effectui dare sueverunt, dum familiaris alicujus & noti hominis, qui forsan convivii tempore in ædibus est, se servos vel famulos esse simulant, prout in aulis haud rarò contingit, ut interim occasionem furandi captent, si possint, vel etiam ut aliquem decipiant, prout Directarios describit *Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. libr. 37. cap. 14. n. 4.* quod ipsum adhuc hodie ita contingere Relationes hebdomadariae non ita pridem nos reddebant certiores, dum enim solemnities nuptialia in aula Imperatoris solennissimè celebrabantur, ejusmodi Directario Equestris se dignitatis esse simulans, ad Imperatorias epulas se conferebat, & ita occasionem Comiti de Herberstein Sacculum spoliandi nanciscebatur; Deprehendebatur tamen hic nebulo in continenti, & sine dubio merito supplicio est affectus; *Scriptum hæc erat Vienna die 8. Decemb. Anni 1666.* Et huc quoque illi fures spectant, quorum mentio fit in *l. 10. §. 1. ff. ad l. Jul. Pecul.* scilicet, qui se in arca quadam in templo posita includunt, & post clausum templum de arca exeunt, & de rebus sacris pro lubitu furantur, & postmodum se in arcam recipiunt *Petr. Gregor. Tholos. d. l. n. 6.* Cujus generis omnes illi sunt, qui vespertino tempore ædes alienas introeunt, se occultantes, ut ædibus obseratis eò minor suspicio furti adsit, & ut interim commisso furto eò commodius auffugere possint; Quam furum speciem experientia forsan docuit omnes.

Ejusdem

CAPUT II.

24. Eiusdem ferè farinæ illi quoque reputantur, qui quidem non
 25. se ædibus alienis includi patiuntur; Interim ut eò securius & com-
 modius furentur, clavibus adulterinis German. mit dem Dietrich
 claustra artificiosè referant, & in aliena cœnacula se dirigunt. de qui-
 bus B. Dn. Carpz. *Pract. Crimimal. P. 2. Quæst. 79. n. 40.* Pertinent
 26. huc etiam illi, qui *θυγενται* dicuntur, sive Januarum apertores,
 sive parietum aut forium effractores, qui effracto perforatòque pa-
 riete furantur *l. 1. §. fin. ff. de Effractor. & ibi Godofred. lit. l. Cujac. lib.*
10. observ. 27. Tales etiam sunt, qui malis artibus in aliena cœnacu-
 la scandunt aperiendo fenestras hamis, uacinis, vel qua alia ratio-
 ne, *Henric. Bocer. Class. 3. Disp. 9. rb. 68.* quibus hominibus cum ali-
 quando abundaret Roma, coacti sunt cives omnes præfigere pro-
 spectus, ut hac ratione malevolis hisce ansam in cœnacula se diri-
 gendi adimerent, uti ex *Plinio Histor. libr. 19. notat Jacob. Cujac. de obs.*
 27. Et hi ipsi quoque Apertularii dicuntur *Cujac. d. l. qui & confe-*
ctores Cardinum appellari possunt; Nihil enim tam obseratum,
occlusum & obsignatum est, quod non aperiant; Ita que latenter se
inferunt, ut Gygis anulum habere videantur, cuius pala ad palmã
conversa à nullo cernantur, ipsi cernant omnia Anton. Matthei de
Crimin. ad libr. 47 ff. tit. II. cap. i. n. 4. Cujac. paratit. ff. tit. de Ef-
fractor. quos Impostores etiam vocant Wesenb. Paratit. ff. d. tit. n.
fin. Quinam autem propriè sint Impostores, & imposturæ varia
Exempla de eo prolixius vide Ludovic. Cel. Rhodigin. Lektion Anti-
quar. libr. II. cap. 7. pag. 488 lit D. & cap. 8. d. libr. p. 491.
 28. Cæterum & illi, qui *Γρακισταίχοβαται* dicuntur, Directario-
 rum speciem absolvunt, quam vocem capite primo explicavimus,
 qui scilicet muros conscendunt ac in ædes se furandi causa dirigunt
Diebe so einsteigen. Etenim & hi quasi per artem furari didicere,
 dum & altissimos muros levi opera transcendere norunt. Hinc
 ferunt Erybatem furem, dum in carcere custodiretur, iussum à cu-
 stodibus cōpotantibus specimen edere suæ solertiæ in ædibus con-
 scendendis; Initio recusasse, ac vix tandem assensum, spongeis ac
 retinaculis ferreis expeditis per muros cursim ascendisse; dumque
 custodes mirabundi suspiciunt, superato tecto, priusquam illi cir-
 cumdare ædes possent, desiluisse de ædibus; uti hanc Historiam ex
Suida

Suida refert Theodor. Zvvinger. Theatr. vita human. volum. 17. libr. 5. pag. 1979.

Alii Directarios tales Diætarios appellare malunt; Hinc A- 29.
*drian. Turneb. lib. 9. Adversar. c. 17. dicit: Qui se in aliena cœnacula di-
 rigunt furandi animo, Diætarii vocantur; Quod cœnaculum Diætaria et-
 iam non malè vocari possit, cum in diætaria sit. Est enim eorum diætaria, qui
 in cœnaculis habitant. Quæ Diætariorum significatio non displicet
 Ludovis. Cal. Rhodigin. Lektion. Antiquar. lib. II. cap. 18. lit. A. pag. 557.
 Et hinc etiam Diætarii quædam editiones Digestorum legunt.
 Quanquam falsò pro Directariis Diætariis scriptum esse velit *Petr.
 Crinit. de honest. disciplin. libr. 17. cap. 8.* Alias autem hoc significatu 30.
 Diætarii vocabulum in jure nostro non reperitur. Interdum enim
 pro illis accipitur, qui in diætis mensis ministrare solebant, sive
 ministri diætæ deservientes, quo sensu hanc vocem explicant in *l.
 12. §. 42. ff. de fund. instruat. legat Rhodigin. d. l.* Diætaria enim est cu-
 biculum vel cœnaculum in quo vivimus, versamurque æstate ad
 umbram, hyeme ad solem, uti eam describit *Godofred ad l. 55. §. 3. de
 legat. 3. lit. H.* vel etiam est Domuncula in hortis exstructa vel pro
 fructibus colligendis, vel oblectationis & voluptatis gratia *l. 43. §.
 1. ff. de Legat. 1. & ibi Dd.* Interdum etiam Diætarii dicuntur, qui ci-
 bum vel pretium indies accipiunt, & custodiæ tantum causa una &
 altera die navi præsent, uti illud vocabulum in *l. 1. §. 3. ff. de Naut.
 Caupon. & Stabular. ex Peckio ad d. l. explicat Calvin. Lexic. Jurid.
 Voc. Diætarii;* Quanquam rectius videatur *Godofred. ad d. §. 3. idem*
interpretari, de annonam navis administrante; Alia itaque accep-
 tione Diætarii vocabulum vix occurreret, ex quo tamen minimè col-
 ligendum, quod pro Directariis idem accipi nequeat; cum haud in-
 frequens antiquioribus fuerit, etiam ex loco certo rem denomina-
 re, ut ita nec Diætarius ex furto in Diætaria commisso absurdè dica-
 tur, præsertim si contextus ratio huic significationi suffragetur. Id 31.
 adhuc addimus & Zetarios aliquando Diætarios appellari, ut apud
Jul. Paul. Recept. Sentent. libr. 3. tit. 6. §. Domo cum omni. Zeta erat
 locus unius cubiculi capax, solem hybernum spectans, ita constru-
 ctum, ut per Heliocaminum vaporem acciperet, uti ex *Alexandr.
 Genjal. dier. libr. 5. cap. 5. describit. Calvin. Lexic. jur. vocat Zeta.* Aliis
 Zeta & Diætaria synonyma sunt, & sic Zetarii idem erunt qui Diæt-
 tarii*

tarii, sicut & Zabolus pro Diabolus apud Patres dicitur, & Zaco-
 nus pro Diaconus, notante Jacob. Cujac. annotat. ad Jul. Paul. d. S.
 32. Alii ad Directarios quoque referre volunt junctatores, Hippol. de
 Marfil. singular. 318. qui gemmas falsas vendunt pro pretiosis, quos
 Zuntatores superius vel Giuntatores ex Ud. appellavimus, sed
 hos potius suppositoires quam Directarios nuncupandos esse, obser-
 vat Prosper. Farinat. Operum Criminal. Quast. 166. n. 44.

33. Propius ad Directarios accedere videbantur Bomolochi,
 qui circum aras delitescentes, clam oblata suffurabantur, de
 quibus vid. Ludovic. Cal. Rhodigin, lect. Antiquar. libr. 10. cap. 6. p.
 444. ubi addit & βωμολόχος scurras dici; Unde βωμολοχία apud
 Aristotel. 2. Ethicor. alterum extremum est τῆς εὐτραπείας Bomo-
 lochorum autem in jure nostro mentio non fit, eo quod Christiani
 Imp. clausis fanis, sacrificia atque oblationes istas prohibuissent
 l. 1. & tot. tit. C. de Pagan. et sacrificul. Anton. Matth. de Crimin. ad
 libr. 47 ff. tit. 11. cap. 1. n. 6.

CAPUT III.

DE

REMEDIIIS QUIBUS HÆC CRI-
 MINA È REPUBLICA TOLLI
 POSSINT.

SUMMARI A.

- | | |
|---|---|
| 1. Delicta quo remedio è Republ. tolli possint. | 7. An in ludo adsit voluntas domi-
nium transferendi? |
| 2. Ludus est irritamentum horum
Criminum. | 8. Probatur affirmativa. |
| 3. Sed an Ludus sit licitus? quer. | 9. Quenam requisita in ludo obser-
vanda. |
| 4. Affirmatur de Ludo virtutis | 11. Attenta Reipubl. salute ludus
minimè permittendus. |
| 5. Quoad ludum lucri causa insti-
tutum disting. | 12. Plura incommoda inde resul-
tantia recensentur. |
| 6. Si in se hic ludus consideretur
non est illicitus. n. 10. | 13. Rectè ludus à Principibus & LL.
prohibetur. |
| | 14. Sub |

14. Sub lusu alea omnis ludus continetur.
15. An autem viris honestis ludus prohibitus.
16. Plura de ludo, & in specie de Scachorum ludo remissivè.
17. Ad Saccularios tollendos proficeret severius in ludentes animadvertere.
18. An justum sit Edictum Pratoris hospiti Lusorum injuriam passo actionem denegans.
19. Inquiritur in mores modernos, & Sacculariorum origo uberius exponitur.
20. Porro ad hæc crimina tollenda facit, si Fritillarii, Agyræ &c. in nundinis non recipiantur.
21. Et si nec Olle fortunæ facile permittantur.
22. Insuper si nec otiosi in Republ. tolerentur.
23. Otium enim invitat ad talia crimina.
24. Quenam fuerit Atheniensium Agyias dicitur.
25. Iudicium in otiosos in usum reductum jure Novellar.
6. Otium refertur ad crimina extraordinaria.
27. Ulterius in erroneos & vagabundos inquirendum.
28. Unde hæc vita vagabunda sit orta.
29. Vagabundus non gaudet privilegio fori.
30. Qua pœna vagabundi afficiendi.
31. Quid Justinianus de vagabundis constituerit.
32. Vagabundi mendicitatem hæd raro prætentunt.
33. Mendicantes validi plerumque Saccularii vel Directarii esse solent.
34. Hinc ante omnia in mendicos inquirendum.
35. 36. Qui si validi sint severe puniendi.
37. Quid de opificibus vagabundis statuendum.
38. Aliud remedium consistit in accurata popinarum visitatione.
39. Ut & in diligenti inquisitione in portis instituenda.
40. Iudicium Imp. Justiniani de hac inquisitione.

Variis technis Sacculariorum Directariorumque capite præcedente adductis, non abs re erit, in remedia quædam inquirere, quibus talia delicta tolli è Republica commodè possint. Etenim id iudici cuius incumbit quàm maxime, ut sollicitè agat, quo facinorosis hominibus Provincias purgare possit l. congruit 13. ff. de offic. Præsid. cum intersit Reipublicæ ne delicta-

maneant impunita *l. 51. in fin. ff. ad l. Aquil. & l. 14. C. de Pœn.* Sed hoc duplici potissimum via effectui dabit, si primo occasio delinquendi & irritamenta ad malitiam fuerint è medio sublata. Deinde si pœna maleferiatis justissima fuerit irrogata. Utrumq; hoc & nos in Sacculariatu & Directariatu nobis proponemus: Hoc capite quomodo criminibus hisce committendis occursari; Sequenti vero Capite quomodo, si commissa fuerint hæc scelera, in eadem pœnis legitimis animadverti debeat, lustraturi.

2. Quod concernit itaque irritamenta, quibus ad talia Crimina invitantur homines scelerati, varia illa sunt, ex corruptis seculi nostri moribus oriunda, ut hinc difficilè fuerit eadem ordine enarrasse. Famosiora tamen & frequentiora in medium proferemus. Et inter hæc malorum irritamenta primipilares partes sibi ludus vindicat, quò nihil hodiè in orbe frequentius. Huic enim si se mancipaverit quispiam, si bona sua in eodema perdiderit, vix alia sibi via consulere valebit, quam si malas artes sectetur, & nescio quibus fraudibus victum sibi parare discat. Proniores hinc ad furtum sunt, cum & furandi intentio ab illis Lusoribus qui nihil aliud agunt, quam ut ludis incumbant, aliena minimè videatur, hinc facilè in Sacculariorum vel Directariorum partes trahuntur. Imò, ut capite præcedaneo dicebamus, ipsi Saccularii ludo ut instrumento utuntur, quo emungere incautos pecuniis valerent.

3. Quia autem hoc ipsum non tantum frequentissimè contingit, sed & insuper chartarum lusoriarum, Alearum & taxillorum usus creberrimus est; haud adeò ab hoc loco erit alienum quæsisse; An in ludo chartarum vel Alearum ulla justitia subsit, & an ille etiam lucri causa ab aliquo possit adhiberi? Patet autem ex ipsa quæstionis formatione, nobis de ludo Virtutis sermonem non esse, qui ludo fortunæ opponitur, quod in illo virtus magis requiri videatur quàm fortuna; in hoc vice versa. Nam de ludo virtutis causa instituto in aprico est, illum nec jure Civili esse prohibitum, Scutum enim vetuit in pecuniam ludere, non verò si certamen pro virtute suscipiatur *l. 2. & 3. ff. de Aleatorib.* Nec jure naturali circa ludum virtutis aliquid dubii subesse poterit; quippe & finis egregius est, ut scilicet in virtutis studio quis exerceatur, nec media illicita sunt, ut puta quibus alter alterum ad virtutum stadia decurrenda irritat:

Ec

Et in hoc puncto ludi virtutis conveniunt fere Dd, ad unum omnes
Prosp. Farinac Oper. Criminal p. 3. Quest. 109. n. 106. & seqq. Anton.
Fab. Ration. ad d. l. 2. §. 1. ff. de Aleat. Pet. Greg. Thol. Synt. l. 39. c. 4. n. 3. Dn.
Hahn. ad Wesem. tit. de Aleat. pr. Dn. Struv. Syntag. Exer. 15. th. 55. Dn.
Franzk. comm. ff. tit. d. n. 2. Jul. Clar. libr. 5. Sententiar. §. ludus. n. 2. Dn.
Carpzov. Pract. Crim. p. 3. Quest. 134. n. 29. Sed quærimus tantum 5.
 de ludis ejusmodi, qui ob lucrum aliquod instituuntur, an hi illiciti?
 Sed ut in ejusmodi quæstionibus hæc duo potissimum discutienda
 occurrunt. An res abstractivè considerata licita sit; Et an licita, si
 ad utilitatem Reipubl eandem applicemus; Ita utrumque circa
 ludum quoque animadvertendum. In se & abstractivè consi- 6.
 derato ludo, etiam lucri causa instituto, non putarem aliquid inju-
 stitiæ subesse. Etenim si quilibet in re sua liberè versari poterit *l. 21.*
C. Mandati. si donare alteri pro lubitu potest, & in alios sua bona
 transferre, ex jure sibi in suas res competente. Quid impedimento
 esset, quo minus per ludum transferre partem bonorum suorum
 posset in collusorem. Dixeri, non translatio tantum bonorum,
 sed & modus transferendi bona jure approbatus attendendus. Fa-
 teor, si de translatione Civili sermo sit, hæc ita esse, si irrevocabili
 titulo velit possideri. Sed si simplicitatem juris Gentium conside-
 res, id jam perinde erit, quacunq̄ue ratione bona in alium transfe-
 rantur; modo reverà & ex voluntate prioris Domini transferantur.
 Nihil siquidem tam naturale est, quam voluntatem Domini, in ali-
 um res suas transferre volentis, ratam haberi. *l. 9. §. 3. ff. de A. R.*
D. Sed hic forsan dices non aderit voluntas transferendi, si intentio- 7.
 nem lusorum consideres, quippe quæ lucro captando potissimum
 inhiat, non vero ut de suo in alium quid transferat. Sed limitata
 hæc intentio est, si possibile sit, & in eventum quoque lusor in ac-
 quisitionem adversarii consentire censetur. Periculo enim fortu-
 næ se uterque subjicit, & dum se spe lucrandi vana lactatum persen-
 tiscit alter, non poreit non pecuniæ suæ translationem velle. Nec 8.
 hoc in jure etiam Civili incognitum est, aliquem qui lucri spe ad
 contrahendum alliciebatur, obstetricante fortuna, pecuniam suam
 in alium transferre, ne teruncio quidem loco redhostimenti re-
 cepto. Jactum retis si emeris pro decem, etiam si Piscator nihil ce-
 perit, solvere nihilominus debes, *l. 11. §. fin. ff. de Action. Empt.* Hinc

& talis Emptio, simili à lusoribus desumpto, dicitur emptio aleæ l. 8. § 1. ff. de contrah. Empt. l. 7. ff. de hered. vel Action. vend. De qua venditione sub alea videri poterunt Stephan. Forcatul. Necyomant. sive de Occult. jurispr. Dial. 43. n. 4. & seqq. Donell. 13. Comment. c. 1. ubi Hill. lit. G. Christin. Decis. Cur. Mechl. vol. 2. Decis. 199. pr. David. Döring. Bibliothec. JCor. sub voce alea n. 5. & seqq. Sed & hic aderat intentio lucrandi, dum amplissimam piscium capturam sibi pollicebatur Emptor. quâ spe cum sit deceptus, non tamen ex inde à pretii solutione liberatur, cum in omnem eventum in hanc consensisse præsumatur; Non ergò & in ludo lucrandi intentio translationi erit impedimento.

9. Sicut autem contractus ipsi, ne iniustitiæ fiant obnoxii, certis cancellis conclusi; Ita quoque ludus ut justus sit, eadem requisita flagitabit. (1.) Lusor liberam rerum suarum administrationem habere debet, hæc enim si defuerit, nec Legibus approbatissimo titulo in alium validè quicquam transferre valebit; Hinc impuberibus, minoribus, filiis familias, prodigis & id genus aliis potestatem ludendi minimè largiremur. (2.) Ne alter alterum ad ludendum alluceat, quia sic in dolo esse videtur. (3.) Ut fraudes ex ludo absint, nec contra leges ludorum peccetur; Certis enim legibus ludi conclusi sint, quas transilire lusores minime debent, das sie müssen des Spiels Berechtigtheit halten/ prout vulgus lusorum loqui amat. (4.) Ut æqualis utriusque ludentis conditio sit, quæ requisita Dd. de ludo agentes recensent communiter. Zæf. comm. ff. de Aleator. n. 1. Dn. Habn. ad Wesenb. d. tit. n. 1. Covarruv. ad c. peccatum de R. I. in 10. 6. P. 2. §. 4. n. 7. Quibus omnibus præsuppositis, ludos ex se iniustos non esse, etiam si lucri causa instituantur, manifestissimum evadit, & in hac præter Dd. jam jam citatos Moralista & alii ferè communiter consentiunt Vid. Dn. Struv. d. Exerc. 15. th. 56. Ludovic. Molin. de just. & jur. Tract. 2. Disp. 510. n. 3. Johan. de Salas Tract. de lud. dub. 2. & seqq. Confer. Michael. Salon. in controvers. de iustit. & jur. in sec. secunda Thoma. Tom. 1. Quæst. 5. artic. 6. qui ibid. citat. Dd. plurimos Covarruv. ad c. Peccatum de R. I. in 6. P. 2. §. 4. n. 7. Lessius de iust. & jur. lib. 2. c. 26. dub. 2. & seqq.

11. Sed aliud longè est, an, attenda utilitate publica & considerata morum perversitate, consultum sit ludos ubi de lucris certatur

tatur in bene constituta Republ. permittere? Hoc enim pronis largimur ulnis, lucri causa permittendum civibus non esse ut ludant, quanquam id in Lydia aliquando tempore famis permissum fuisse, ut hac ratione ludis intenti, ciborum appetitum non adeo attenderent, ex Herodoto referat *Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. libr. 39. cap. 4. n. 9.* Etenim proni alioquin ad vitia homines sunt, hinc facile ad abusum trahunt quodvis, & quod Exercitii causa inventum, ut serium tractant. Sic Germani aleam olim inter seria exercebant sobrii, tanta lucrandi perdendique temeritate, ut cum omnia defecissent, extremo & novissimo jactu de libertate & de corpore contenderent, ut author est *Tacitus de Morib. Germanor. Vid. Petr. Gregor. d. lib. 39. c. 3. n. 6.* Cujus rei exemplum admirandum, non quidem de Germano sed Hispano refert *Dn. Harsdörffer in seinem grossen Schauplatz lust und Lehrreicher Geschichte Rubric. der verzweiffelnden Spieler P. 1. tit. 25.* quod hac in parte meretur lectionem. Non ergo contenti homines hodie minimam pecuniae summam fortunae exponere, sed si hanc sibi contrariam viderint, ad extrema haud raro perveniunt, nec desistunt antea, nisi ad Saccum & peram usque se viderint excussos. Sed nec ita contenti lusores, blasphemias insuper horrendas in D. O. M. effundunt, si fortunam sibi adversantem experiantur, insuper ad verba injuriosa, imò ad verbera, & quod magis est, ad caedes haud raro perveniunt, & fraudes, mendacia ac perjuria nunquam ferè à ludis absunt, ut sic millium malorum causam ludum haud injustè dixeris. Talia vitia ludorum, in specie autem taxillorum *Hostiens. in Summ. Tit. de Excessib. Pralator. §. Clericus* sequentibus versibus inclusit.

Hac cum taxillis ludendo crimina sumit

Ecclesiae spretus, usuraq; sive Rapina.

Scandala, vel nuga, blasphemia, seu faciendi

Furti doctrina, violentia & crimina falsi.

Et mortis causa deceptio, perditioq;

Temporis, & desiderium, corruptio, junges

Istis predictis adulatio, Vitaq; turpis.

Vid. Petr. Gregor. Tholos. d. lib. 39. c. 3. n. 10. Jacob. Men. A. I. Q. cas. 399.

Jedoc. Damhoud. Prax. Rer. Crim. cap. 128. n. 15. Antoni Martib. de Crim.

- Crim. ad libr. 47. ff. tit. ult. cap. 6. n. 3. in fin. Cbristin. Decis. Mechlin. lib. 2. Decis. 198. & seqq.* Et hinc varia Epitheta ob vitia inde oriunda ludo tribuuntur; Altor otii, Magister ignavia, instrumentum avaritia, fraudis officina, rei familiaris everfio, temporis jactura, rixæ materia, morum pernicies, dignitatis labe, & insignis ignominia, cruciatus affiduus, Aquila denique Promethei appellatur, uti ex *Pascas. Justo. de Alea lib. 1. adducit. Dö ring. Bibliothec. Jctor. tit. de*
13. *Alea n. 33.* Hinc meritò Jure Civili Romano Alearum lusus prohibitus *tot. tit. ff. de Aleator.* Id enim licitum Principi est. ea quæ quidem ex sua natura non videbantur injusta, interim si damna inde ac nocumenta in Rempubl. redundarint, prohibere ac e Rempubl. sua eliminare, qua de re *Angli illius celeberrimi Johan. Seldeni de jur. nat. & Gent. juxta disciplin. Ebreor. lib. 6. c. 11. sententiam ad nostrum casum applicatam adducit Dn. Struv. Exerc. 15. th. 56.*
14. Sed sub aleæ lusu prohibito, omnem lusum fortunæ jura Civilia volunt intellectum *Cujac. in Paratitl. Cod. d. 1. Anton. Fab. Rational. ad l. 1. ff. d. 1. Excellentiss. Dn. D. Brunneman. Comm. ad L. Alearum 3. C. de Aleatorib. Zæf. comm. ff. d. 1. n. 1. Prosp. Farinat. Oper. Crimin.*
15. *P. 3. Q. 109. n. 9.* Sed uti suprâ jam dictum, in pecuniam ludere Jure Civili tantum prohibitum *l. 2. §. 1. ff. de Aleator.* Exceptis aliquibus ludis à Justiniano in *l. alearum fin. C. de Aleator.* permissis, ubi tamen ultra unum solidum perdere non licet *d. l. fin. in fin. Petr. Gregor. Tholos. lib. 39. cap. 4. n. 3.* ubi dictos ludos explicat: Non ergò ludere videtur prohibitum viris honestis, ratione satis utentibus ac animi & recreationis tantum causa ludentibus, si non argenti cupiditate ad ludendum irritentur, nec tempus ad graviora negotia destinatum eidem impendant *Dn. Carpz. Pract. Criminal. P. 3. Quest. 134. n. 34* Hinc convivii causa ludere permissum esse restatur *Paulus Jctus in l. fin. pr. ff. de Aleator. Vid. Jodoc. Damboud. Prax. Rer.*
16. *Crim. cap. 128. n. 16 & n. 24.* De qua materia ludorum præter suprâ citatos, pluribus videri poterunt *Dd. integris tractatibus eandem illustrantes, qui relati sunt in Tractatus Tractatum, ut Ludov. Job. Baptist. Caccialup. à S. Severino. in Tom. 7. Paris de Puteo d. Tom. 7. Stephan. Costa d. Tom. De ludo Schaccorum scripsit. Thomas Actius. Tom. 7. Tractat. quem ludum etiam Dardanam pugnam vocant, & vocabulum ludi quidam ab Ebreorum Schach deducunt, quod si-*
gnifi.

gnificat *vallavit*, cui linguæ etiam acceptum ferunt vocem in hoc ludo usitatissimam *mat* vel *mot*, quod idem ac *mortuus est*, quasi Regi periculum & mors intentetur; Nam finitur ludus Schachorum per *Schach* & *mat*, cum Rex omninò obsessus est, & immobilis redditur, ut mortuus *Petr. Gregor. Tholos. lib. 39. cap. 4. num. 8. Marc. Hieronym. Vida de Schachia ludo*, quem citat *Döring. Bibliothec. Jctor. sub voc. alea. n. 12. De cujus inventione Vide Polydor. Vergil. lib. 2. de invent. rer. cap. 3. Alexand. ab Alexandr. lib. 3. Genial. dier. c. 21. Petr. Gregor. d. l. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ*. Caterum ludum Chartarum perinde ut ludum alearum prohibitum esse, quia potissimum in fortunæ faventia consistit, autoritatibus pluribus probat *Prosper. Farinac. d. Q. 109. n. 13.*

Patet autem ex jam in medium allatis plura ex ludo in Rem- 17
publ. incommoda oriri; imò ipsos Saccularios ansam delinquendi inde communiter capessere solere; Ut hinc meritò, præsertim sequiori hoc ævo, in usum revocanda foret severior Justiniani Imp. animadversio, tam in ipsos lufores, quàm in subsidia & receptacula luforibus subministrantes concepta. Hinc in *l. Alearum. fin. C. de Aleator.* prohibuit, ne ulli vel in publicis vel in privatis ædibus ludere liceret, denegatâ Victori actione, quâ lucratum petere possit, & concessa victo amissi repetitione; qui si non repetat, fisco hanc facultatem concedit. Suffragantur huic Prætorum edicta, quæ contra Receptores Luforum severissima sunt. Si enim ejusmodi receptorem quis verberaverit, vel damnum ei dederit, vel si quid in ædibus ejus tempore ludi subtractum fuerit, Prætor, se judicium non daturum pollicetur *l. i. pr. & ss. seqq. ff. de Aleator.* quod variis ampliationibus & limitationibus pro more suo prolixius deducit *Prosp. Farinac. Quest. 109. p. 4. n. 137. & seqq.* Et quan- 18.
quam hoc ipsum Edictum Prætorium non tantum *ἡ δόξα* sed & *ἡ δόξα* appellet *Joh. Jacob. Wissenb. ad ff. P. 1. Exerc. 23. th. 16.* cum hæc ratione invitentur homines ad furta, damna, injurias inferendas, promissâ delictorum impunitate contra *l. 1. §. 4. ff. ad. Sctum Turpill. l. 51. §. 2. ff. ad. l. Aquil.* Interim & in hoc Prætorio Edicto justitia non exulat. Siquidem hic intentio Prætoris potissimum attendenda, cui id curæ fuit ludos alearum planè tollere; Quia tamen recipi lufores ac foveri in ædibus videbat, vole-
E bat

bat ejusmodi Receptori ob damnum aliquod ipsi illatum actionem concedere, quippe cum hoc damnum ex propria culpa sensisset *l. 203. ff. de R. l.* ut hâc viâ, eò magis Hospites tales à receptione lusorum deterrerentur, si viderint sibi ob damnum ab illis datum actionem denegari. Nam cum metu damni deterritus unusquisque eum quem lusorem in ædibus habuerit, à se ceperit propulsare, occasio ludendi amplius non dabitur, ut in simili rescribere *Arca. & Honor. Imp. in l. 12. C. de Agricol. & censur.* Imò nec ea propter impunitas delicto tempore ludi commissio datur, cum nihil quod malo more deloque admissum, impunitum sit relinquendum *l. 11. in fin. ff. de Dol. mal. & met. Except.* Sed Receptori tantum persecutio injuriæ suæ denegatur *Anton. Fab. Rational. in l. 1. §. 2. ff. de Aleator. lit. b.* Non ergò nec hodiè foret injustum revocare in usum istas leges, cum hac ratione Sacculariorum technis commode obviari possit. Imò augendæ hîc pœnæ forent, quia delicta ipsa incrementa fecerunt. Si enim Receptorum ædes publicarentur, vel si ipsi Receptores haud impunes dimitterentur, receptacula, quo se conferrent nequissimi homines, haberent minimè. Sed, quod dolendum, foventur tales Receptores, de quibus tamen ferè notoriè constat, illos cum Sacculariis & Directariis conspirare, & ita ex horum sceleribus lucrum turpissimum aucupari. Imò & Publica interdum loca ludis destinata sunt, ubi præter blasphemias & perjuria creberrima, Saccularii, anam malis suis artibus utendi, nanciscuntur. Et dum ludis ubique indulgetur, etiam illis, qui victum sibi vix parare norunt, malis modis eò contendunt, ut victores in ludis existere, & sibi victum parare possint. Conspirant invicem, ac societates pessimas ineunt, ut alter in ludo alterius partes foveat, quo tertium incautum, ita ære suo possit spoliare. Provocant alios ad ludendum, nec desinere volentem dimitunt; Furta interim non intermittunt, & si quid vel mendaciis vel perjuriis ab altero obtinere possint, haut ipsis Religioni est. Hâc ergò ratione Sacculariorum Directariorumque fomentum ludum esse, ac homines alioquin ad vitia proclives, ad furta talia perpetranda facilè invitari, luce meridianâ clarius evadit, ut ea propter ludi usus, præsertim in publicis locis & popinis institutus, si Sacculariis purganda Provincia, primùm abolendus, & si contra quis fecerit,

cerit, gravissimis poenis cöercendus. De poenis autem lusoribus irrogandis *Vid. Jodoc. Damboud. Prax. Rer. Crim. c. 18. n. 1. 7. B. Dn. Carpzov. Pract. Crim. P. 3. Quest. 134. n. 17.* de quibus etiam capite sequenti dicendi ansa dabitur.

Deindè nec hoc inutile Sacculariorum fraudes præcavendi ^{20.} remedium est, si Fricillarii, Agyrtae, Joculatores, & hoc genus alii, quorum superiori capite fecimus mentionem, non indistinctè nundinarum tempore in Civitates recipiantur. Etenim, si ipsi hi à Marsupiiis scindendis abstineant, certè tamen ad minimum comites alunt, qui hujus artis gnarissimi existant. Dum enim in scenam prodeunt, & ludicras sectantur artes, ex quarum Exercitio ipso jure infamiae præmium reportant *l. 1. § 2. S. fin. ff. de hi. qui not. infam.* vix religioni sibi duxerint, quacunquè ratione possibile unquam fuerit, pecuniis suis proximum spoliare, & ita Sacculariatùs quoque crimine se conspurcare. Imò & Saccularii talibus sociis, utuntur communiter; qui præstigiis suis & artibus, quas in publico solent exercere, alliciant homines, ut ita his catervatim concurrentibus, & invicem sese comprimentibus sine labore & nemine advertente subducere spectantibus pecunias, & abscindere oculos ex voto proprio possint; Quo fine & ollæ fortunæ haud ^{21.} rarò exponuntur, quæ ad hoc Crimen perpetrandum promptissimam suggerunt ansam. Hic enim nemo ferè nisi pecunia instruetus accedit, & dum alter altero ollæ propior esse desiderat, subducere pecuniam facilè possunt. Hinc è Republ. esse, talia spectacula Joculatorum tolli, qui quæstuariâ arte exhauriunt Civitatum pecunias sensim, & veluti à voluptate sopitis civibus extorquent, otia stabiliunt, & infinita prope delicta inseminant; Imò quod valdè deffendum, cultum Divinum minuunt & tollunt, graviter admonuit *Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. univers. libr. 39. c. 5. n. 27.*

Aliud remedium Saccularios & Directarios è Republ. ^{22.} tollendi consistit in otii severissimâ prohibitione; Etenim Otium quasi Augiæ stabulum est, ex quo vitia quævis originem trahunt. Otium enim scelerum mater fecundissima est, & dum expertia agitationis corpora sunt, amica vitiis quiete quasi diffluunt. Dum enim laboribus assueti minimè sunt, nec his ipsis sibi parare

- victum norunt, ad nequissima acquirendi genera prono impetu
 dilabuntur, ut inde segnitiam ad illicitos actus impellentem rectè
 dixerit sacratiss. Imperator in *Novella 80. cap. 5. §. 1.* Hinc otium
 si è *Republ. sustuleris, innumerorum delictorum ansam evitabis*
 23. *Vid. Lather. de Censu lib. 3. cap. 19. n. 7. & seqq.* Et ea propter non
 in una *Republ. contra otiosos homines leges promulgatae.* Alex-
 ander *Scotiae Rex Guilielmi Filius, Magistratibus imperabat, ut*
otiosos, qui nec artem scirent, nec patrimonium haberent, seve-
rè compescerent, quod omnium scelerum & flagitiorum ex otio
velut fonte primordia dimanare existimaret. *Buchanan. lib. 7. Sco-*
ticar. Rer. in fin. Quæ prohibitiones à *Jure Divino alienæ neu-*
tiquam sunt, sed potius ex asse cum eodem conspirant. Etenim
ad laborem homo nascitur, sicut avis ad volatum *Job. 5. v. 7.*
Et laborem manuum suarum manducabit. *Psalms. 128.* Hinc seve-
 24. *risimè ad laborem compellit suos Apostolus, etiam cibum non*
laborantibus denegando. 2. *Thessalon. 3. v. 10. & seqq.* Et penes
Athenienses specialis lex erat otiosos compescens appellata
ἀργίας δυν quæ *Soloni Draconique Græcis Legumlatoribus ori-*
ginem debet; Et quidem Draco otiosos morte mulctabat, quod &
apud Ægyptios & Sardoas obtinebat, ubi quilibet apud Præsides
exponere cogebatur, unde viveret, id si non fecisset aut legitimè
vixisset, morte plectebatur, uti ex Ælian. l. 4. c. 1. referunt Dio-
nys. Godofr. ad Nov. 89. c. 5. lit. S. Petr. Gregor. Tholos. lib. 39. c. 6.
n. 18. Theodor. Reinking. de Regim. Secular. & Ecclesiast. lib. 2. Class.
1. c. 7. n. 2. Alexand. ab Alexandr. lib. 3. Genial. dier. c. 13. Georg.
Schonborn: lib. 3. Polit. c. 14. in fin. Solon verò mitior hâc in par-
 te fuit, dum hominem otiosum ter deprehensum infamiâ notare
 voluit, bonis insuper privatis *Godofred. d. l. Rittershus. ad Nov. P.*
 25. *12. c. 15. Jacob. Cuiac. comm. ad d. Nov. 80.* Et idem *Græcorum in*
otiosos iudicium in usum reduxit Imperat. Justinian. d. Nov. 80.
c. 10. Ubi hæc, vertente Holoandro, habet verba: Ab illis, qui ante
nos leges tulerunt & contra ignaviam quadam constituta fuit actio
(quæ in Græco dicitur ἀργίας ποινή) & quicquid in urbe peregrini-
um esset, accuratius pervestigaverunt. Et neque novum neque ma-
ioribus insolitum hoc genus studii est, sed honestum & vetustum; quibus
postmodum subjicit, se tale studium neglectum hæctenus, ejus u-
 tilitate

tilitate deprehensâ, iterum in Remp. introduxisse. Hinc otium 26.
hodiè haud absurdè à Doctoribus inter crimina extraordinaria
refertur. *Rittershus. d. c. 15, n. 1. Ahasver. Fritsch, Tract. do mendicant. valid. c. ult. n. 1.* ut ita per consequens perinde in hoc ac in
alia Crimina judici inquirendum, præsertim cum lerna malorum
otiositas sit, scelerumque viperina origo. *Petr. Gregor. lib. 23. c. 6. n. 12.* Hinc si ad labores compellantur quilibet, ut hac ratione
sibi parent victum, ab illicitis artibus, & variis furtorum generi-
bus facile abstinebunt; Et ita nec Saccularios nec Directarios in
tanta copia reperiemus.

Ex hoc ipso, quod in otio tollendo constituimus, reme- 27.
dio, novum aliquod resultat, scilicet diligentissima in Errones &
vagabundos inquisitio; Nec enim tantum otiosos in Civitate sua
compescere debet Magistratus, sed in adventantes inquirendum
ipsis accuratius est. Errones autem illi sunt, qui non quidem fu-
giunt, sed frequentes sine causa vagantur, & temporibus in res
nugatorias consumptis, serius domum redeunt, prout eos descri-
bit Ulpianus in *l. 17. §. 14. ff. de Ædilit. Edict. vid. l. 225. ff. de V. S.* quod
quidem de servo errone tantum vult intellectum *Ulpian. d. tit.*
commodâ tamen satis interpretatione, ad errones nostros, de qui-
bus hic sermo est, poterit traduci; Nam & hi tempus in nugato-
riis rebus consumunt, undiquaque divagantur, nec ad lares pã-
trios facilè revertuntur, sed ubique otium sectantur, & ansam de-
linquendi furandique quærunt; Vagabundos autem dicunt illos,
qui per mundum vagantur nec certum habent domicilium, in quo
habitent *Gloss. in l. Eius qui manumisit §. celsus. verb. Domicilio ff. ad
Municipal. & ibi Bartol. Petr. Caball. Resolut. Criminal. Cent. 2. cas.
178. n. 4.* ubi plures allegat.

Et hæc vita vagabunda duplicem potissimum agnoscit cau- 28.
sam; Primum rerum omnium ubertatem, annonæque fertilitatem;
Tunc enim populus licentiore vita, deliciis ac omni voluptatum
genere enervatus ac penè dissolutus, ad otia & ad inertem vitam
convertitur, labores aspernatur & honesta quæque Exercitia, qui-
bus vita humana firmatur, fugit, & exosa habet, sic se deliciis,
compotationibus, poculis, choreis, reliquisque voluptatibus to-
tum tradens. Hinc abliguritis pecuniis, ad furta, rapinas & ad

latrocinia se convertunt, qui se honestis studiis dare non possunt. Deinde quoque tantæ Vagabundorum ac Erronum colluvies bel-
lorum reliquæ videntur esse. Soluta enim militia, si honestis ar-
tibus alimenta sibi parare sunt ignari, vagabundam sectantur vi-
tam, ad scelera quævis proclivem, prout eleganter hæc deducit
Jodoc. Damhoud. Prax. Rer. Crim. cap. 153. n. 21. & 22.

29. Cuius itaque Judici id incumberet summoperè, ut ejusmodi
facinorosis hominibus Provincias purget, & hæc ratione delictis
viam præscindat *l. congruit 13. ff. de offic. Presid.* nec enim ejus-
modi vagabundi ullo se privilegio à foro Judicis cujuscunque exi-
mere valebunt, sed dum nullibi domi, ubi vis domi sunt, & sic ubi-
cunque reperiuntur, forum quoque sortiuntur. *Wesemb. Paratit-
ff. de Judic. n. 16. Fachin. l. 9. Controv. c. 24. Farinac. Oper. Crim. P.
1. t. 1. Quest. 7. n. 13. Jodoc. Damhoud. Prax. Crim. c. 33. n. 10. Dn.
Carpz. Prax. Crim. p. 2. Quest. 54. n. 48.* Ut adeò pœnas iisdem,
modo constiterit ex circumstantiis, eos esse vagabundos, à quo-
30. cunque Judice imponi posse, non dubitandum. Et eapropter va-
rias in vagabundos statutas pœnas ubi vis reperimus. Sic in
Provincia Cathalonix contra hos Vagabundos statuta est pœna
fustigationis, vel serviendi in Regiis triremibus usque ad quin-
quennium *uti ex Peguerr. Quest. Crim. c. 3. testatur Petr. Caball.
Resolut. Crim. Centur. 2. Cas. 178. n. 2.* Severius in eosdem Vaga-
bundos animadvertere voluit Imp: Carolus V. Diplomate specia-
li Namurci in Brabantia promulgato Anno 1542 d. 18. Septembr. ubi
vagabundis & malefactoribus constituta erat pœna furcæ aut pa-
tibili, ipsisque Vagabundis passim obsistendum esse decrevit, e-
tiam sonitu Campanæ, si res exegerit, vel alio quovis modo, quod
31. refert *Jodoc. Damhoud. Prax. Crim. c. 153. n. 49.* Et eò quoque re-
spexisse videtur Justinianus Imp. in *Nov. 80. cap. 3.* ubi Quæstori-
bus injungit, ut inquirerent in Vagabundos, & si causas in Ci-
vitatibus expediundas opponere non possent, jubet, ut eos ad su-
as Provincias remittant, ne hæc ratione delinquendi ansam sorti-
antur. Nullum itaque subest dubium, Saccularios & Directari-
os optimè è Republ. tolli posse, si vagare cuius hinc inde ac errare
non permittatur, sed arctioribus remediis Vagabundi è finibus
Reipubl. expellantur.

Sed

Sed hac ratione nondum satis Reipubl. prospectum, sed 32.
 & progrediendum ulterius est; Quippe id quotidianum Vaga-
 bundis ingeniis est, colorem otio suo quærere, ut eò facilius vel
 tolerentur, vel commodius sibi victum parent. Prætendunt in-
 de egestatem, & ut eò melius ad commiserationem permoveant
 homines, corporis infirmitatem, & quidem tantam, ut ad victum
 sibi parandum sufficiant minimè, allegare plerumque solent: Hic
 certè curiosior esse Judex, nec cuivis corporis infirmitatem præ-
 tendenti fidem adhibere debebat. Etenim simulant plerumque
 morbum, & nescio quæ Symptomata mentiuntur, cum ipsi tamen
 robustissimi sint, & viribus quàm maximè polleant; Exempla in
 propatulo essent, nisi nota ubivis ac obvia forent, cui volupe est
 adeat *Jodoc. Damboud. Prax. Rer. Criminal. c. 112. n. 55. & seqq.*
Abasver. Fritsch. de Mendicant. Valid. c. 13. n. 4. & seqq. *Theodor.*
Zwinger. Theatr. Vit. human. Volum. 7. libr. 5. Rubric. Pecunias
& Stipendia astute comparare §, stipe. Mendici, astuti, p. 1976. Quia 33.
 itaque hi mendicantes propudiosissimo plerumque ingenio præ-
 diti, facilè in scelera quævis, præsertim in varii generis furta prola-
 buntur, cum mendicando homines ad delicta proniores fiant *Nov.*
80. cap. 5. Hinc nullum subest dubium, quod Sacculariorum
 Directariorumque fraudes præcaveri nequeant, nisi à mendicis va-
 lidis Provinciæ fuerint purgatæ. Dum enim illi mendicitatis præ-
 textu securi ubique vagantur, ansam spoliandi alios, quâcunque
 ratione id possibile fuerit, quærunt, pecunias auferunt, crume-
 nas abscindunt, & nihil non, quò fraudibus ditari queant, inten-
 tatum relinquunt. Imò Directarii hæc ratione dolum tegere no-
 runt, dum ut mendici alterius fores accedunt, eleemosynas petunt,
 & dum ab illis furandi suspicio ob corporis infirmitatem, quam
 præ se ferunt abesse videtur, securius ædes ingrediuntur, latebras
 domus observant, & in easdem se dirigunt, & dum neminem ad-
 vertentem offendunt, subtrahunt, quæ sese incustodita eis offe-
 runt; Vel etiam opportunitatem nocturno tempore se in ædes di-
 rigendi, diurno tempore mendicando maleferiati illi observant,
Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. lib. 37. cap. 14. n. 4.

Reducendæ ergo in usum forent leges saluberrimæ, contra 34.
 nequissimos tales mendicantes latæ, quibus cuiuslibet potestas con-
 cessa

- cessa inspiciendi & investigandi corporis defectus, quibus se laborare mendici dicunt, sicut hoc concessum est in *l. Unic. C. de Mendicant. Valid. Nov. 80. cap. 4. & 5.* Si ergo talibus incommodis & morbis detineantur, ut alimenta sibi parare minimè possint, meritò eleemosynis & commiseratione digni sunt, & hinc sine molestia in Civitate commorari ipsis permittendum, monente Imp. in *d. Nov. 80. cap. 5. in fin.* quod confirmatum in *Ordination. Polit. de Anno 1577. tit. 27.* Von Bettlern und Müßiggängern ubi ita dispositum: Wir wollen auch daß eine jede Obrigkeit der Bettler und anderer Müßiggänger halber / ein ernstliches einsehen thue / damit niemands zu betteln gestattet werde / der nicht mit Schwachheit oder Gebrechen seines Leibes beladen / und dessen nicht nothdürfftig sey. Si itaque validi reperiantur mendici, (quod tamen Magistratus arbitrio permittendum putant, an mendicus Validus sit dicendus *Jacob. Menoch. A. I. Q. cas. 532.*) duriori coërcitione prosequendi. Et expeditissimum remedium videtur ad opera publica eosdem, ne frustra terræ onus sint, condemnare, ut ita ad meliorem frugem redigantur, quod voluit Justinianus Imp. *d. Nov. 80. cap. 5.* Hinc ad purgandas plateas, & fossas, ut & ad alia opera diversis in locis destinantur *Petr. Caball. Resolut. Criminal. cas. 178. n. 6. Jodoc. Damhoud. Prax. Criminal. cap. 112. n. 59. Petr. Gregor. Tholosan. lib. 15. cap. 28. n. 14. & libr. 39. cap. 6. n. 13. & seqq. Ahasver. Fritsch. de Mendic. Valid. cap. 15. per tot.* Quæ ipsa pœna utique exasperanda, si ad validitatem mendicantium fraudes & falsitates accesserint, utpote si fictis literis se infortunio quodam bonis privatos esse, asserant, incendio forsan, captivitate, vel hostium direptione Wan sie auff den Brand betteln und falsche Brand-Brieffe machen. Hos enim, pro circumstantiarum tamen ratione, fustigatione perpetuæ relegationi junctâ plectendos esse volunt *B. Dn. Carpz. Prax. Criminal. P. 2. Quest. 93. n. 72. & seqq. Fritsch. d. Tract. cap. 16. n. 7.* Quam fustigationis pœnam ad eum quoque casum extendunt, si morbos, vulnera, vel defectus naturæ simulent mendici, per tradita *Carpz. d. l. n. 75.* quod præjudiciis inibi dat confirmatum.
37. Et huc quoque referimus artifices illos Vagabundos, Die Handwercks-Gesellen / so vorgeben, das sie auff das Handwerck wandern; Hi enim haud rarò se artifices esse mentiuntur, tantùm ut otio hinc

C A P U T III.

hac ratione litare possint, quod ex eo plerumque manifestum red-
ditur, dum se tali artificio mancipatos esse dicunt, quod in hisce
locis non exercetur. Hinc videbis communiter ferè tales mecha-
nicos vagabundos illam Apostoli Pauli artem *Σκηνοποιίαν* profiteri,
sie geben sich vor Teppichmacher aus/ quia hoc genus artificii non
ubivis solet frequentari. Itaque ut & his, qui à furtis vix ab-
stinere solent, purgetur provincia, inquirendum primò esset; An
Opificium didicerint, nec ne; Quod si affirmant, accersendi essent
illi, qui gnari hujus artificii sunt, ut de veritate eò melius posse
constare. Deinde attendendum, annon in ea Civitate ubi stipem
collecturi sunt operam tali artificio impendere possint; Quod si
non liceat, ostiatim victum quærendi potestas ipsis concedi posset,
quanquam consultius sit, si ex publico ipsis aliquod subsidium
subministraretur; Posset enim Magistratus à Civibus certam pecu-
niam colligere, & adventantibus ejusmodi hospitibus inde stipem
præbere *Confer. Fritsch. cit. l. cap. 8. n. 20. & seqq.*

Porro ad Remedia, Sacculariatùs Directariatusque Cri- 38.
mina delendi, non minimum faciet accuratissima Cauponarum,
Popinarumque visitatio. Etenim id frequentissimum videmus,
convolare in Popinis homines Sceleratissimos, præsertim cum ini-
bi ad luxum, & alia vitia innumera ansa suppeditetur. Hinc Pa-
tri injuriam fieri existimavit JCtus Paulus, si quis filium in popinã
deduxisset, *l. si quis 26. ff. de injur.* Scilicet cum mores filii corrup-
pi itã facilè possint, si in Popinas, ubi sceleratorum hominum col-
luvies, fuerit deductus. Imò inhonestate non caruit Cauponari-
am vitam sectari, hinc Plato *libr. 11. de legibus* speciali sancito e-
dixit: *Nemo optimatum Civitatis caupo fiat,* quæ omnia pro-
lixius deducit *Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. libr. 39. cap. 7.* Imò
id quoque toto contingit die, quod Caupones cum Sacculariis col-
ludere soleant, his receptacula præbendo, quo commedius res fur-
tivas celare possint, certam ex re furtivã partem lucri percipien-
tes; Consultum ergò foret, si inquisitio accuratior institueretur, qua-
les advenæ in popinis suscipiantur & sustententur, & si contigerit,
in cauponis aliquem pecuniis suis spoliari, durius foret animad-
vertendum.

His ultimo loco, sed non ultimum remedium subjicimus, Di- 39
ligen-

F

ligen-

diligentissimam advenarum inquisitionem in portis instituendam ;
 Non enim consultum in civitatem quosvis peregrinos recipere,
 Nisi constiterit primum unde sint, cujus conditionis, & quid nego-
 tij ipsis in Civitate expediendum ; Quod ipsum quoque in bene
 constitutis Rebuspubl. ac Civitatibus observari videmus : Et eò
 respexit quoque Justinianus Imp, in elegantissima *Novella 80. cap.*
1. ubi securitati Constantinopolitane urbis prospicere voluit, dum
 certos inquisitores, quos *Ereunadas* vocat inibi, in præfata urbe
 constituit, qui in cujuslibet adventantis negotia inquirent accura-
 40. tè, & otiosis hominibus Civitatem purgent. Addeamus verba Im-
 peratoris *d. Novell. 80. cap. 1. Bergentione Pisano, vel quicumque*
ille vulgatus paraphrastes fuerit, vertente : Volumus autem cingu-
lum habentes hoc, respicientes ad Deum, nostrumque timorem & legem,
requirere ad magnam hanc Civitatem venientes, ex quacunque Provin-
cia sint, Viros, sive Mulieres, aut Clericos, seu Monachos vel Monachas,
sive externarum Civitatum advocatos, aut alterius cujuscunque fortu-
na vel dignitatis existant, & perscrutari qui sint, aut unde venerint,
aut quâ occasione &c. Si itaque hæc inquisitio, præsertim nundi-
 narum tempore accuratius aliquantisper instituatur, si popina-
 rum hospites arctius constringantur, ut & hi in hospitibus recipi-
 endis delectum habeant, & si quid in illis, quos receperant jam jam,
 fraudis deprehenderit, hoc statim Magistratui deferant, & si cæ-
 tera quoque superius proposita remedia adhibeantur, facile scele-
 ribus hisce Sacculariorum Directoriorumque obviari posse, ne
 tantâ, quâ hæctenus frequentia perpetrentur, nemini non est mani-
 festum.

CAPUT IV.

DE

 SACULARIORUM ET DIRE-
 CTARIORUM POENIS TAM PRISCIS
 QUAM MODERNIS.

SVM.

SUMMARI A

1. Non tantum remediis contra delicta, sed & pœnis opus est.
2. Exprimitur pœna in nostra L. statuta.
3. Est ea arbitraria.
4. Proponitur ratio dubitandi.
5. Resolvitur eadem.
6. Confirmatur Sacculariorum pœna arbitraria.
7. Quenam olim pœna furum fuerit?
8. Saccularii gravius furibus puniendi.
9. Possunt & in opus publicum damnari.
10. Hujus pœnæ species.
11. An ad tempus tantum hac Pœna afficiendi?
12. Fustigari quoq; possunt.
13. Qualis hæc pœna sit.
14. Quomodo à flagellatione differ.
15. An post fustigationem dimittendi?
16. Ultima pœna est Relegatio.
17. Proponuntur speciales pœnæ.
18. Quæ pœna Saccular. falsas merces pro veris vendentium.
19. Quid jure Carolino.
20. Quid si falsam monetam expendant.
21. Quæ pœna Zuntatorum.
22. Quæ pœna Bursicoporum.
23. An possint suspendi?
24. Quid ad hoc requiratur?
25. Dn. Carpozovii opinio.
26. Quæ examinatur?
27. Fustigatio hiis communiter dicitur.
28. Optimum foret Bursicopos ad opera publica & ergasteria condemnare.
29. Utilitas hujus pœnæ.
30. Quæ pœna adjutores Sacculariorum puniendi?
31. Deciditur quod pari pœna.
32. Quomodo Receptatores Sacculariorum puniendi.
33. An Saccularius de sociis interrogari possit?
34. An ei de sociis confitenti credendum?
35. Saccularii ad ludum pellicientis pœna.
36. Quæ pœna si fraudibus in ludo utatur.
37. Pœna Agyrtarum.
38. Directarii puniuntur extraordinariè.
39. Directarius in edibus deprehensus, antequam furtum faciat, an teneatur actione furti?
40. Respondetur dubio cuidam.
41. Directarius quando pœna laquei afficiendus. (des.)
42. Quid si dirigat se per scalas in æ.
43. Pœna Directarii clave adulterinâ utentis.
44. Pœna illorum qui in loca sacra se dirigunt.
45. Conclusio.

Postquam præcedente Capite illustravimus ea remedia, quibus observatis Crimina, circa quæ occupamur, præcaveri possint commodè operæ pretium nos facturos arbitramur, si hoc capite pœnas in ejusmodi delinquentes statutas proponamus. Etenim non sufficiunt semper remedia delictorum perpetrationem impediencia, sed homines nihilominus novo quodam ausu in delicta prolabantur, & non una, sed multæ ad nequitiam viæ sunt *Novell. 22. cap. 15*. Hinc etiam in ipsa delicta jam jam commissa animadvertendum severius est, quo pœnæ metu eò adigantur maleferiati, ad quod sua sponte & virtutis stimulo erant obligati. Pœnas itaque Sacculariatus & Directariatus quod concernit, primum illas quæ in *d. l. Sacculari 7. ff. de Extraord. Crim.* habentur adducemus, post & alias partim hodiè frequentatas, partim quæ summo cum Reipubl. bono hisce delinquentibus irrogari possint, proponemus.

Legem nostram quod concernit Sanctio pœnalis inibi his concepta verbis est: *Plusquam fures puniendi sunt, idcircoque aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur & dimittuntur, aut ad tempus relegantur.* Pœna hæc eodem sensu in Græca versione reperitur; *Ἐπιπέρας κλέπτας τιμωρῶνται: καὶ ἢ πρὸς κατὰ ἐργὸν δίδονται εἰς δημόσιον ἔργον, καὶ ῥοπαλίζονται, καὶ ἀπολύονται, ἢ πρὸς καίρω ἐξορίζονται συνοψ. βασιλικῶν Leunclav. lib. 15. pag. 166.* Æqualis utrisque pœna statuta, variis tamen pœnarum generibus subjectis, ex quo haud obscurè colligimus arbitrarium hoc crimen esse, judici potestate concessa pro gravitate admisi modò hanc modò illam pœnam irrogandi; Cui Rubrica tituli sub quo habetur *d. l. Sacculari* suffragatur, quæ inscripta est *de Extraordinariis Criminibus*. Et quanquam arbitrium Judicis cessare videatur, quotiescunque alicujus criminis, ut in hoc nostro caso, pœna aliqua certa lege determinata *arg. l. 1. §. fin. ff. d. jur. de liberand.* cum id arbitrarium esse desinat quod jure communi vel consuetudine certam recepit decisionem, *Jacob. Menoch. A. l. 2. lib. 1. Quest. 14. n. 6.* Et insuper illæ Leges demum optimè constitutæ sint, quæ in omnibus, qui incidere possunt, casibus sancitæ sunt

sunt, paucissima Judicis arbitrio relinquentes, uti ex *Aristot.* 1. *Rhetor.* notat idem *Menoch. d. lib. Quæst. 1. n. 1.* Interim hoc ipsum nostra Crimina ab extraordinariorum numero non liberat. Ipse enim Ulpianus qui legis nostræ Autor est *lib. 9. de offic. Proconsul.* varias pœnas proponit, non certa lege determinatas, sed suo tempore ab uno alterove judice observatas; Et quanquam, postquam in *Σωματοποικία* suam hanc legem transtulit Justinianus, pœnæ quoque ibi enarratæ legalem vim consecutæ videantur, non tamen naturam Extraordinariorum Criminum invertit Justinianus, sed eandem in pristino vigore reliquit, & exemplum pœnæ judici tantum proposuit, quod imitari possit, non ut semper eandem pœnam sequatur; Cum ob Circumstantiarum varietatem in his delictis occurrentium definire pœnas certas Imperator nequirit, sed adhuc aliquid judicantis religioni reliquerit, quod pluribus deductum in *Nobi'iss. Dn. Presidis Dissertatione de Dardanariis cap. 5. n. 8. & seqq.* Hinc & in specie *Dd.* ita communiter decidunt ac statuunt pœnam Sacculariorum ex arbitrio judicis esse infligendam *Farinac. Oper. Criminal. P. 7. Q. 167. n. 30. & quos ibi citat. Bocer. Class. 3. Disp. 9. th. 67. Peer. Theodoric. in Colleg. Criminal. Disp. 3. th. 16. lit. E. Conf. Anton. Bullæus in Annot. ad Sanction. Criminal. Caroli V. artic 163.*

Sed jam pœnas ipsas breviter percurremus. Primum dicit *Jctus* gravius eos quam fures esse puniendos; quo ipso procul dubio pœnam furti suo tempore frequentatam intelligit Ulpianus, ubi fur manifestus quadrupli, nec manifestus dupli tenebatur *S. 5. Inst. de obligat. quæ ex delict.* Antea enim severius in furta animadvertēbatur. Nam *LL. XII. Tab.* præterquam quod nocturnum furem impunè occidere licebat, manifesti fures verberabantur, si liberi erant, & his addicebantur, quibus furtum fecissent. Servi verò verberibus cæsi de Saxo præcipitabantur *A. Gell. Noct. Att. lib. 11. cap. ult. Anton. Matib. de Crimin. ad lib. 47. ff. tit. 1. cap. 2. n. 1. Confer. Jacob. Menoch. A. 1. Q. lib. 2. cas. 295. Anton. Augustin. lib. 4. Emendation. cap. 4.* Qui rigor postmodum remisit ex parte, concessâ tamen adhuc Ulpiani tempore potestate, Criminaliter ad extraordinariam animadversionem furem conveniendi, *fin. ff. de furt. ad mortem tamen vel amputationem membri*

ob simplex furtum hanc animadversionem non deberi extendi, specialiter prohibuit Imperator Justinianus in *Novell. 134. cap. ult. & inde desumpta Auth. sed novo jure C. de serv. fugitiv.* ubi tamen aliam castigationem permisit, quam arbitrio prudentis judicis merito relinquunt *Dd. JCriff. Dn. Brunneinan. Comment. C. d. Auth. Richter. ad d. Auth. n. 16.* Sed quid hodiè hac in parte obtineat, post

8. subjiciendum. Patet autem ex nostra lege, fures licet extraordinariè conventos ex *l. ult. ff. de furt.* tamen tantam non subjisse pœnam, quantam Saccularii & Directarii, quod omne pro gravitate admitti & circumstantiarum diversitate putamus temperandum, quod satis innuit Ulpianus diversas hisce delictis pœnas constituendo, sed has ordine.

9. Primò dicit ad tempus in opus publicum dandos esse Saccularios & Directarios, quæ certè pœna satis commoda est, horum libidinem ac nequitiam refrenandi; Quanquam enim hanc pœnam ad minimas referat *Paulus lib. 5. Sentent. tit. 17. §. 2.* Tamen in se considerata sat gravis est, propter diurnos labores singulis diebus expediundos, quibus corporis vires miserè affliguntur, præsertim si vinculis constringantur damnatorum artus, ut inde ad pœnas corporales damnationem in opus publicum retulerit *Anton. Matth. de Criminal. libr. 48. tit. 20. cap. 3. n. 9.* Imò ad capitales pœnas ibidem opus publicum refert, quod vix permitendum videtur, cum hâc ratione nec naturalis nec civilis mors inferatur; Hinc & expressè ad pœnas non capitales refertur in *l. Capitalium 28. §. 1. ff. de pœn. Carpz. pr. Criminal. P. 3. Quest. 102. n. 12.* Et hinc in damnatis ad opus publicum existimatio tantum minui, non verò libertas auferri dicitur in *l. 5. §. ff. de Extraord. Criminib.*

10. *junct. d. l. 28. §. 6. de pœn.* Et huc pertinent variæ pœnæ hinc inde in jure expressæ; Sic si quis in lapidicinas condemnetur, sive latomias vel lautomias *L. 1. §. fin. ff. de Aleator.* erit pœna operis publici. Cujus pœnæ alias quoque species recenset Justinianus in *Novell. 80. cap. 5.* his, Holoandro interpretante, verbis: *Non permittat ut inutile terræ pondus sine, sed primo quoque tempore in ministerium tradat eos artificibus publicorum operum, tam qui officinis pistoriis præfecti sunt, quam qui hortos colunt, & aliis diversis artificibus & opificiis, in quibus simul laborare, simul alimenta habere valeant, &*
ita

ta inertem vitam ad meliora traducant. Additur autem in *d. l. Saccularii* pœnæ operis publici, certa limitatio; quod scilicet ad tempus tantum in opus publicum eondemnandi sint, quod & in hac pœna regulare est, per *l. 8. §. 7. ff. de pœn.* interdum tamen, si circumstantiæ delictum aggravantes accesserint, & in perpetuum hæc pœna extendi solet *l. fin. ff. de Effraetor.* Quod & in Sacculariis & Directariis obrinet, præsertim in his, qui rarò sine effractione in ædes alienas se dirigere solent. Hinc Saccularios & Directarios eadem pœnâ, scilicet operis publici perpetui vel temporarii, cum Effraetoribus puniendos esse vult Ulpianus in *l. 1. §. 1. & 2. ff. d. r.*

Secunda pœna ab Ulpiano in nostra lege expressa est, ut Saccularii & Directarii fustibus castigentur; Hæc fustigationis pœna ut antiquissima ita notissima, quæ quidem ad Capitales jure Civili regulariter non refertur *l. capitalium 28. §. 1. ff. de Pœn. Menoch. A. I. Q. libr. 1. Quest. 86. n. 15.* ad corporales tamen sive corporis afflictivas utique referenda, quod suo experimento hæc pœnam perpesi abundè probabunt. *Carpz. Pr. Criminal. P. 3. Quest. 129. n. 15. Petr. Caball. resolut. Criminali. cas. 28. n. 12.* Quæ autem fustium castigatio in hac *l. Saccularii* dicitur, alibi fustium admonitio appellatur. *7. ff. de pœn. Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. lib. 31. cap. 11. n. 7.* Hinc aliquis aut verbis, aut fustium castigatione emendari dicitur in *l. 9. §. 3. ff. d. offic. Proconsul. Confer. l. 1. §. 10. ff. d. offic. Præf. urb.* dicitur etiam ictus fustium *l. 22. ff. de his qui not. infam.* Erat autem fustis ligneus baculus, quo vestiti feriabantur, quæ fustigatio interdum sine sanguinis effusione fieri poterat *2. Feud. 27. pr. vers. si quis aliquem. Godofred. ad l. 7. ff. de Pœn.* Interdum verò fustigationis pœna præsertim in militibus adeò gravis erat, ut mortem inde oppetierint, quem fustigandi morem militibus usitatum Polyb *libr. 6. Histor.* ita describit: *Acceptò fuste, Tribunus vix tantum attingebat damnatum, quod ubi factum erat, omnes, qui in castris erant, cadentes fustibus lapidibusque plerosque in ipsis castris conficiebant, ac si qui evasissent, ne sic quidem servari poterant &c.* uti hoc ex Polybio refert *Johann. Rosin. Antiquitat. Roman. lib. 10. c. 25. in med. Petr. Gregor. d. l. n. 10.* Differebat autem fustigatio à flagellatione; Fustigatio fustibus fiebat; Hæc verò flagellis. Flagellorum autem variæ species erant, aliæ lenes, ut flagella frondium &

vir

virgarum; Aliæ nodosæ & aculeatæ, de quibus *Godofred. d. l. 7. de pæn. lit. d.* Deinde fustigationis pœna liberis hominibus imponebatur; Flagellatio personis servilibus *l. 10. ff. de pæn. l. 28. §. 2. ff. eod.* Fustigatione vestiti; Flagellatione nudi afficiebantur *Godofred. d. l. 7. §. l. 12. ff. de jur. Fisc. Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. jur. libr. 31. cap. II. n. II.* Hodie verò pœna fustigationis non frequentatur, quanquam apud Turcas adhuc in usu sit; Sed flagellatio sive cæssio virgarum *der Staupenschlag* quæ pœna tamen hodie fustigationis nomine insigniri solet. Quod autem in lege nostra dicitur, Saccularios & Directarios postquam fustibus castigati sunt, dimit-
 15 tendos esse, id hodie sublatâ pristinâ fustigationis pœnâ, etiam aliter se habet; Quippe postquam flagellatio vel cæssio virgarum introducta & recepta, eidem pœna à *Carolo V. in Const. Criminal.* ubivis ferè perpetua Relegatio addita, quam relegationem, licet fustigationi non fuerit adjecta, semper tamen sub intelligendam vult *B. DN. Carpz. Pract. Crim. P. 3. Q. 129. n. 17. & seqq.*

16. Ultima pœna in nostra lege est expressa Relegatio, quando alicui certa Provincia vel Civitas vel ad tempus vel in perpetuum interdicitur *l. 14. ff. de interd. & Relegat.* Pœna hæc jure Civili satis frequentata, moribus verò nostris quotidiana, ut ita frustrari foremus si eidem explicandæ immoraremur. Imò & perinde ubivis obvium, pœnam hanc relegationis, vel temporalem esse, vel perpetuam *Carpz. d. P. 3. Q. 130. n. 15.* quâ distinctione præsuppositâ *Ulpianus* in nostra lege Saccularios & Directarios ad tempus relegandos esse asserit; Non quod semper ad tempus relegandi sint, nam & in perpetuum eos relegari posse dubium non est, si gravitas admitti id exegerit; Sed ut iudicis arbitrium in hoc extraordinario delicto puniendo, eò melius confirmet, diversas pœnas
 17. pro diversitate delicti irrogandas proponendo.

Hactenus ergo ductum legis secuti, pœnas ibi propositas lustravimus; Jam pretium operæ nos facturos arbitramur, si specialius circa pœnas versemur. Etenim generaliter hic nihil decidi potest, partim ob circumstantiarum varietatem, partim ob ipsius Criminis diversitatem. Ut ergo confusionem evitemus, delinquentibus hisce Sacculariis & Directariis pro variis eorundem fraudibus ad seriem in capite 2. formatam, dictabimus pœnas. Pri-
 mam

nam ibi *d. cap. 2. n. 2.* Speciem Sacculariorum constituebamus illos, quorum in nostra lege 7. ff. de Extraord. Crim. mentio fit, de quibus minimè dubitandum, eosdem pœnis in *d. l.* determinatis à iudice, arbitrium tamen adhibente, coerceri posse, quas pœnas jam antea dedimus explicatas, Auctoribus, *n. 6. h. cap.* adductis.

Alteram Speciem ex Accursio in præfato *cap. 2. n. 3. 4. & 5. 18.* diximus, qui in saccis falsas merces & falsos nummos gerunt, & illas incautis vendunt, & solventibus pecuniam subtrahunt. Hi enim quatenus falsas & corruptas merces pro veris & egregiis vendunt, utique pœnâ falsi affiendi; Quisquis enim rem externo quodam & apparente fuce adulterat & ad deceptionem corrumpit, falsum committere dicitur *Carpz. Pr. Crimin. p. 2. Quest. 93. n. 1.* Imò hic omnia Criminis falsi requisita accuratè concurrunt. Etenim dolus adest, cui accedit veritatis immutatio, dum corruptas merces pro bonis vendunt, & succedit ita damnum in proximum exinde redundans, quæ falsi requisita recenset *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. lib. 36. cap. 1. n. 6. Carpz. d. l. n. 6. & seqq.* Hinc huc re 19. ferenda Carolina Sanctio, quæ habetur in *Constit. Criminal. artic. 113.* ubi in specie corruptis mercibus scienter utens, *der Specerey oder andere Rauffmanschaft fälschet/ und die für gerecht gebraucht oder ausgiebt/* ad falsarios refertur, ut inde meritò falsi pœna, quæ arbitraria est, modo gravior, modo remissior, pro falsitatis gravitate *Mynsing. ad §. item L, Cornel. de fals. n. 11. de Publ. jud. ejusmodi mercium corruptor sit puniendus. Carpz. d. Quest. 93. n. 88.* Imò hos, qui juxta Gloss. veritas merces supponunt bonis ad ductum nostræ legis gravior ut fures plectendos esse asserit. *Petr. Caball. Resolut. Criminal. Cas. 177. n. 2. & 4.* ubi insuper *n. 5.* addit quâ pœnâ ille qui falsum Zafferanum pro vero vendiderat de quo *cap. 2. n. 5.* fuerit affectus, dum dici; *quod fuerit transmissus ad triremes, & ante transmissionē ductus publicè super asinum mitraus,* quam sententiam tamen minus severam fuisse, sed hunc graviori animadversione prosequi debuisse, & quidem pœna falsi, subjicit *n. 6.* Cæterum 20. quatenus & falsam monetam ejusmodi Saccularii expendunt, si quidem dolose fecerint ex severitate *Constit. Criminal. artic. III.* eâdem pœnâ affiuntur, ac si falsam monetam fabricassent, *Vid. Jacob. Menoch. A. I. Q. cas. 316. n. 51.* quanquam *d. Const. Crim.* de illis

commodius explicetur, qui communicato cum Pseudomonetariis consilio expendunt falsam monetam: Præsertim cum se revocet Carolus V. ad jus commune, ubi tantus rigor proditus non est, *Jocissimus Dn. D. Brunnemannus. Præceptor æternam venerandus, Comment. ad l. 2. C. de fals. Monet.* Jure Saxonico verò in ignis supplicium hoc casu surrogata fustigatio cum perpetuâ Relegatione *Carpz. Prax. Crim. P. 1. Q. 42. n. 97. & seqq. ubi n. 108.* hoc limitat in illis qui ignoranter & citra dolum falsam pecuniam expendunt; Sed hæc ignorantia in nostris Criminibus non præsumenda.

21. Porro ad Saccularios superius *cap. 2. n. 6.* etiam retulimus Zuntatores, falsas gemmas dolose vendentes. Hi enim præterquam quod ut falsarii puniendi sint, per requisita falsi superius adducta, quæ hisce delinquentibus commodè applicari possunt; Insuper & pœnis in *l. Saccularii 7. de Extraord. Crim.* expressis affici, & gravius ut fures puniri possunt *Hippol. de Marsil. Singular. 318. Caball. Resol. Crim. Cas. 177. n. 1.*

22. Iam ad Saccularios κατ' ἐξοχήν tales, quos Crumenifecas, Manticularios & Burficopos appellavimus *c. 2. n. 7. & seqq.* Et nulli dubitamus hos iisdem pœnis, quas Lex nostra determinat, esse subjungendos. Id tamen hic merebitur decisionem, quod in *d. l. Saccularii 7. ff. d. r.* eos gravius ut fures puniendos esse dicatur, jam autem pœna furti, quæ tunc temporis ad summum extraordinaria erat *l. fin. ff. de furt. Novell. 134. c. ult.* hodiè partim per constitutionem *Friderici de Pac. tenend.* partim per *Carolus V. Constitut. Criminal. Artic. 162.* in capitalem, suspendii scilicet, mutata, modo circum-

23. stantia à Carolo V. requisitæ adfuerint; Hinc dubitare subit, An etiam Saccularius tertia vice in secandis marsupiiis deprehensus, pœnâ hæc capitali affici & ita suspendi possit? Certè si de iteratione furti constiterit evidenter, & si summa furto sublata quantitatem Carolinam excedat. non videm⁹ quare mitius agendum cum Sacculario tali tanquam exercitatisimo & nequisimo fure, quàm cum alio qui forsan simplicitate ductus in furti vitium prolapsus est. Nec enim ulla diversitatis ratio hic cum effectu poterit ostendi; Animus furandi adest, adest delictum ipsum; Turbantur hæc ratione publicæ societates, violatur mercatum integritas; Nundinarumq;

dinarumque securitas, quæ privilegiis promovenda erat, hoc scelere exspirat. Ut inde merito cum Ulpiano in nostra lege dicendum hos gravius, quàm fures puniendos & per consequens utique propter concursum requisitorum Carolinorum, suspendendos esse, præsertim cum collegia quasi alant Saccularii, & adeò perfrixtæ frontis sint, ut ipsis poena vel fustigationis vel Relegationis ludibrio sit. Etenim illam interdum sæpius perpesi sunt, ut adeò virgæ cum dorsis eorum consuetudinem iniisse videantur. Relegationem verò grato animo accipiunt, dum propter vitam vagabundam, quam sectantur, ubivis domi sunt, & artificium suum exercere possunt, quocunque licet locorum commorentur; Hinc severiori poena cõercendi forent, ut ita hujus formidine peccare desinant, & criminis hujus complices alterius exemplo cautius discant mercari.

Præsupponimus autem, de delicto Saccularii certò constare ^{24.} re debere, primum quod marsupium abstulerit, deinde cui abstulerit, non enim sufficit in genere de delicto constare, sed & in specie certus debet esse Judex, præsertim antequam ultimi supplicii poenam imponat per tradita *Egid. Bossii Pract. Crim. tit. de delict. n. 14. & seqq.* Ex quo quidem colligit *Dn. Carpz. P. 4. C. 33. D. 7. n. 8.* Quod Bursicopi qui in nundinis & tabernis mercatorum ubi maxima hominum frequentia, bursas abscindunt, aliaque surripiunt, rarissimè ac nunquam ferè laqueo puniantur, subjicit postea rationem, quia etsi de bursa abscissa appareat, vix tamen Bursicopos certas personas, quibus sua abstulerunt, judicare posse, ut sic Judex de corpore delicti dubius, ad poenam laquei non possit pervenire. Et quod hæc Bursæ abscissæ ostensio non sufficiat, ulterius idem *Dn. Carpz. Pr. Crim. P. 2. Q. 81. n. 32.* ita deducit; Quia fures illas potuit emisse, & metu tormentorum furtum confiteri: Aut potuit res illa, quam se furto subtraxisse putat, pro derelicto esse habita, cujus furtum fieri non potest per *S. pen. Inst. de R. D.* Sed an hæc *B. Dn. Carpzovii* collectio sufficiat pro Sacculariis à patibulo liberandis, equidem dubitaverimus. Quippe si leges à casibus potioribus determinandæ, dixerimus ferè, plerumque de eo constare, cui furtum sit factum; Licet enim Sacculario persona illa non sit cognita, tamen hæc ipsa persona, postquam pecuniã spoliata

hiata est, facile se prodet, & nummos amissos lugebit, ut sic iudici postmodum ex inquisitione circumstantiarum ubinam, scilicet furtum commissum, & quo tempore, & an uterque ibi praesens fuerit tunc temporis, ut & ex confrontatione & crumena abscissa nunquam non constare possit. Imò ἐπ' αὐτοφώγω haud raro deprehenduntur Burficopi, & à furtum passis in iudicium deducuntur; Ut ita de delicto certissimus possit esse Iudex. Et si a libi forsan delictum à Sacculariis commissum dicatur, eò scribi potest à iudice, ut ita de facto certioreretur; Et certè rarissimè imò nunquam contingunt casus à *Dn. Carpz.* pro ratione decidendi adducti; Non enim hujus ingenii sunt Burficopi, ut res à se emptas pro furtivis venditent, nec adeò pecuniis inimicum est hoc seculum, ut marsupia aere repleta pro derelictis soleat habere, ut ita meritò invertenda collectio, ut rarissimè & nunquam ferè corpus delicti possit esse incertum, (quod nundinae nostrae Francofurtenses saepius dedere comprobatur, ubi non tantum Saccularii deprehensi, sed & personae illae quibus furtum commissum nullo negotio repertae, imò antequam de illis furibus constaret, hi saepius jam nomina apud Iudicem professi erant,) ut per consequens meritò suspendii poenam veniant afficiendi. Aliàs fatemur faciles, non debere pronum esse Iudicem ad suspendii poenam dictandam, nisi de omnibus circumstantiis constiterit eidem evidentissimè; Hinc si circa has aliquod dubium suboriatur, quod diligenti inquisitione tolli non possit, facile cum *B. Dn. Carpz.* (alios enim Doctores de hac quaestione in specie agentes, haecenus quantacunque diligentiam adhibitam reperire nondum licuit) asserimus, potius fustigationem ejusmodi furi esse dictandam, quod praedictio firmat. *Dn. Carpz. Pr. Crim d. l. & d. D. 7.* his verbis: So werden sie alle drey wegen ihrer vielfältigen verübten Spitzbuberey/ weil man der erkundigung nach Gelegenheit dießfalls nichts gewis werden kan/ öffentlich billich zur Staupen geschlagen/ und des Landes ewig verwiesen.

28. Sed jam at tea dicebamus despumatae nequitiae hoc genus hominum esse, adeò ut nec fustigationem imò nec patibulum vereatur; Hinc certè consultum foret aliis poenis maleferiatos hos cöercere; Ad suspendium enim non semper deveniri potest. Fustigatio verò tollendo hoc malo non sufficit, hinc expeditius existimarem
nihil,

nihil, quàm si ad operas publicas vel ergasteria condemnarentur. Etenim fustigationem ut pœnam transeuntem æquo ferunt animo. Suspendium etsi magis timeant, tamen & hoc, sibi & alijs moriundum esse gnari, spernunt, nec famæ ullam habent rationem. Sed si ad operas publicas condemnarentur, & pœnæ perpetuitatem, & quotidianam miseriam, dum pane & aquâ ipsis vescendum, experirentur; Imò nec à verberibus essent, immunes, si pensum singulis diebus absolvendum negligenter, quod certè magis, quam ullum aliud supplicii genus, abhorrebunt: Nec enim ipsis ingrator esse potest suspendii, gladii, vel alia mortis subitæ pœna, quam tot suppliciis assiduis excarnificata vita *Jodoc. Damhoud. Prax. Rer. Crim. cap. 153. n. 37. quod exemplis probat n. 42. & seqq.* Et sic reliqui hujus farinae homines, non laboribus sed furtis assueti, mortis supplicia susque deque habentes, metu talis pœnæ peccare cessabunt. Insuper & hæc pœna commoda satis est, 29. si Reipubl. utilitatem attendas; Ita enim facinorosorum copia non tantum tollitur, sed & ex laboribus eorundem loco pœnæ exantlandis Respubl. fructus uberrimos persentiscet. *Confer. Nov. 80. cap. 5. vid. Ahasver. Fritsch. Tract. de Mendicant. Valid. cap. 15. n. 8. & seqq.* Et hinc utile foret, si Germania nostra pluribus ergasteriis esset instructa, quibus coerceri ejusmodi delinquentes possint; Quam in parte Belgium laudem meretur, quod in singulis ferè civitatibus, instructissima habet ergasteria, quibus scelera plurima corriguntur. Nam hæc disciplinâ consulitur Reipubl. auctoritati parentum, honestati familiarum, & ipsis otiosis & malitiosis, qui hoc modo ad saniores frugem disciplinâ & labore reducuntur, ne se ipsos & alios in vitæ & existimationis periculum conjiciant, & extremæ calamitatis barathrum præcipitent, ut notat *Theodor. Reinking. de Regim. Secular. & Eccles. lib. 2. clas. 1. cap. 7. n. 5. de quorum Ergasteriorum utilitate consule uberius Dn. Fritsch. d. c. 15. n. 20. & seqq. Besold. de Anar. c. 3. §. 13. & in Thesaur. Pract. sub voc. Zuchthaus Læcher. de Cens. lib. 3. cap. 19. n. 73. & seqq. Jodoc. Damhoud. Prax. Crimin. c. 112. n. 59. & c. 153. per tot. ubi pœnam condemnationis ad tritimes talibus delinquentibus imponendam, uberrimè describit, ac utilitates ejusdem eleganter exponit.*

Jam

30. Jam de illis dispiciendum erit de quibus *cap. 2. n. 14.* actum, qui furantibus Sacculariis sinum præbent, sive opem ferunt; An hi eadem pœnâ cum ipsis Sacculariis furibus affiendi? Quod asserere non dubitamus; Etenim intentio horum Sacculariorum planè una eademque est, dum quilibet ad marsupia scindenda vel furtum committendum paratus incedit, & qui primus nanciscitur ansam, effectui dat, quod mente secum conceperat, alter interim ex eodem furto lucrum percepturus, sinum præbet, sive celat res ablatas, ac illas domum apportat; Exinde itaque inferimus, quod quicumque furi, & sic Sacculario, opem & auxilium in ipso furandi actu præstat spe participandi de lucro, quod ille perinde pro fure habendus, & sic pari cum eodem pœna affiendus §. II. *vers. ope & consilio Inst. de oblig. quæ ex delict. l. 34. ff. d. furt.* Johan. Goedd. *ad l. 53. n. 12. ff. d. V. S. Carpz. Pr. Crim. P. 2. Q. 87. n. 30. & seqq.* quod eò magis patescit ex concursu requisitorum hoc casu necessarium; Etenim auxilium hic fertur non fortuito, sed ex dolosa conventionione & præviâ deliberatione *Farinac. oper. Criminal. Quest. 131. n. 28.* adest animus lucrandi, requisitus in *l. 53. pr. ff. de furt. & furti consummatio l. 52. §. 19. ff. eod. Confer. Carpz. d. Quest. n. 33.* Et quanquam hoc auxilium videatur demum post patratum delictum præberi, dum celat alter marsupia abscissa, non verò esse cooperativum & in ipso furandi actu præstitum, quod hic requirunt *Dd. Farinac. d. Q. 131. n. 63. & seq. Menoch. lib. 2. A. I. Q. cas. 349. n. 7. 9. & 10. Hippol. de Marsil. Prax. Crim. §. constante n. 50.* Interim si intentionem Sacculariorum spectes, utique cooperativum erit, ob conventionem ab initio inter illos initam, quâ sibi invicem auxilium, quacumque demum ratione possint, promiserant. Imò videtur adhuc in actu furandi constitutus alter, dum unus sinum præbet, quia nondum rem plenariè abstulerat, quod forsitan etiam nec facere potuisset, si socii operâ fuisset destitutus, ut sic non dubitemus, eandem pœnam quæ Sacculariis, & eorum adjutoribus, juxta requisita tamen superiora esse infligendam.

32. Aliud autem si de Sacculariorum receptatoribus queramus; qui scilicet post furtam commissum eosdem recipiunt, celant, res furtivas occultant; Hi enim post furtum jam consummatum demum auxilium ferunt *Menoch. A. I. Q. d. cas. 349. n. 21.* quanquam enim

enim hi eadem cum illis quos receperant poenam affiendi sint per
l. 1. ff. de Receptor. hoc tamen ita communiter explicant Dd.
 quod in illis receptoribus tantum procedat, qui societatem
 quandam cum ipsis maleficis contraxerunt, & hac ratione auxilium
 praestiterunt, & lucri Partem inde percipiunt, *J. Crisimus Dn.*
D. Brunne man. comment. C. ad l. 1. De his qui latron. Dn. Carpz. Prax.
Crim. d. Q. 87. n. 51. Farinac. Quest. 133 n. 4. Menoch. A. l. Q. cas.
348. n. 2. Ergo illi qui tantum celant & occultant delinquentes
 mitiori & extraordinaria poena erunt affiendi *Dn. D. Brunne man*
d. l. Dn. Carpz. Prax Crim. Quest. 134. n. 42. Farinac. Quest. 132. n.
15. & seqq.

Ceterum superius *cap. 2. n. 14.* assertum a nobis est, Saccu- 33.
 larios raro sine sociis vel delicti complicibus vagari; Hinc oppor-
 tunè quaerendi hic sese exhibet occasio; An Saccularius deprehen-
 sus, de sociis quoque sit interrogandus? Et quamvis alioquin inter-
 rogatio de socio criminis regulariter improbata; *obl. fin. C. de Ac-*
cusae. & adh. l. Dn. D. Brunne man. Menoch. A. l. Q. l. 2. cas. 474. n.
18. tamen si delictum tale sit, quod sine sociis non possit, vel non
 soleat patrari, hic interrogationem permissam esse, unanimes voto
 comprobant Dd. *Excellentiss. Dn. D. Brunne man. Process. Inquisit. 6.*
4. n. 28. Dn. Carpz. Pract. Crim. P. 3. Q. 121. n. 24. Anton. Gomez.
lib. 3. Variar. Resolut. cap. 12. n. 16. & seqq. Non itaque dubium est,
 uno Sacculariorum deprehenso, eundem quoque de aliis interro-
 gari posse; Sed in hac interrogatione, summoperè cavendum ne
 suggestio quaedam concurrat; Hinc varia circumstantia hic judi-
 ci inquirenti attendenda, de quibus, ne justo prolixiores simus,
 consule, *Nemesin Carolinam artic. 31. & ibi Matth. Stephan. & Zie-*
rizium add. Artic. Dn. Carpz. d. Quest. 121. n. 29. Job. Zanger. de Quest.
& correur. cap. 2. n. 47. & seqq. Jacob. Menoch. A. I. Q. cas. 474. Aliud 34.
 autem longe est hoc casu, quaesivisse; An Sacculario de sociis
 confitenti, fides sit adhibenda? Hic enim inter Saccularium con-
 fessum & convictum foret distinguendum. Illi fides adhiberi ne-
 quit, cum pari facilitate de alio, ac de se confiteretur; Hoc casu no-
 minationem socii aliquod indicium facere volunt, sed nec hoc ma-
 gni momenti erit, si alia adminicula, quae nominatum socium su-
 spectum

speculum reddere possint, absint, quod prolixè prosequitur Zanger, allegat. loc. ad quem brevitatis causa nosmet remittimus Conser. Anton. Matth. de Crimin. lib. 48. ff. tit. 15. cap. 2. n. 4. Tiber. Decian. Prax. Rer. Crimin. lib. 3. cap. 19. n. 4. Prosp. Farinac. Prax. Crimin. Quest. 43. n. 34. & 56. De. Carpz. d. Q. 122. n. 37. Andr. Facin. lib. 9. controu. 92.

35. Insuper ad Saccularios in cap. 2. n. 17. retulimus illos, qui ex ludo delinquendi ansam capiunt; Hinc hoc prætextu incautos ad ludum provocant, quos postea nescio quibus dolis pecuniâ emunctos dimittunt; Hinc hi merentur pœnam illam, quam lusoribus jam antea cap. 3. n. 17. & seqq. dictabamus. Id tantum addendum, graviter in eos animadvertendum, qui blanditiis vel aliis artibus, imò interdum violentius aliquem ad ludendum compellunt. His enim iam olim civili jure vel pœna pecuniaria vel pœna latumiae (vel ut a lia Exemplaria legunt, *Latumia*) vel etiam vinculorum publicorum dictata l. 1. in fin. ff. de Aleat. Ex qua pœnarum varietate colligere in proclivi est, arbitrio iudicis commissam esse animadversionem, ut ille pro gravitate commisi & circumstantiarum pœnam aliquam infligat. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cas. 499. n. 12. & seqq. Prosper. Farinac. Oper. Crim. p. 3. Q. 109. n. 72. & seqq. Vid. Jodoc. Damboud. Prax. Rer. Crimin. cap. 128. n. 12. & seqq. Carpz. Prax. Crim. p. 3. Q. 134. n. 17. & seqq. Imò quia & fraudibus variisque artibus Saccularii in ludendo utuntur; Hæ quoque non debent esse impunitæ; Dum enim consuetudine tolerari ludos videmus, ita tamen ludendum, ne leges per consuetudinem semel receptæ violentur, quod dum faciunt Saccularii, utique vel pœna falsi extra ordinem, vel crimine stellationis iudicis arbitrio juxta facti & personarum qualitatem puniendi. Farinac. d. Q. 109. n. 63.

37. Reliquos quod concernit, quorum cap. 2. n. 18. & seqq. facta mentio, videlicet Joculatores, Fritillarios & Circulatores & hujus farinae alios; Hi in bene constituta Republ. tolerandi non sunt, & quia suas artes publicè exercent, facile ipsis hoc interdici à Magistratu potest, cui si non paruerint, arbitrariè & quidem carcere vel etiam relegatione puniri possunt. Quomodo autem illi Joculatores & Mimi qui fera animalia ducunt, e. g. Ursos vel Leones, si ta-

le

le animal damnum dederit, puniantur, *Vid. l. 42. ff. de Edilit. Edict.* vel si serpentes foveant, & horum metu damnum datum sit, quod tunc extra ordinem teneantur, *Vid. l. fin. ff. de Extraord. Crimin. Ludovic. Roman. singular. 712.*

Jam itaque ad Directariorum pœnas nos breviter accingi, 38.
mus. Et his ipsis eadem pœnæ in nostra lege dictantur, quæ Sac-
culariis, quas ipsas jam sub initium hujus capituli explicavimus. Id
tantum exinde notamus, quod pœna quoque Directariorum, in
alienas ædes se dirigentium, sit extraordinaria ex arbitrio Iudicis ir-
roganda. *Henric. Boger. class. 3. Disp. 9. th. 69. Jacob. Menoch. A. 1.
Q. lib. 2. cas. 299. n. 6. Cardinal. Tusch. Pract. Conclus. Tom. 4. sub lit.
E. conclus. 554. n. 3. Prosp. Farinac. Oper. Crimin. P. 7. Q. 167. n. 30.
Mynsing. Comm. Instit. §. 1 n. 1. de oblig. quæ ex delict.* Hac ratione 39.
itaque generalius formato deciso, operæ pretium erit, ad speciali-
ora descendere; Hinc statim se disquisitioni sistit thema; An Di-
rectarius, si, postquam se in aliena cœnacula direxit, deprehen-
datur, antequam furtum committat, furti teneatur? Decisio hujus
quæstionis videtur fundata esse in *l. 21. §. 7. ff. de furt.* ubi dicitur:
*Qui furti faciendi causa conclave intravit, nondum fur est, quamvis fu-
randi causa intravit.* Qui textus in specie videtur negotium nostrum
determinare; Et insuper huc facit, quod contrectatio ad furtum
necessaria sit, adeo ut sine ea furtum non committatur *l. 1. §. fin. de furt.
junct. l. 3. §. 18. ff. de Acquir. Possess. Wissenb. vol. 2. Disp. 29. ad ff. th.
8. Wesemb. Paratit. ff. de furt. n. 4.* Sed quid ita ad nostram *l. 7. 40.
ff. de Extraord. Crimin.* dicendum. Ubi illi qui in aliena cœnacu-
la se dirigunt, gravius quam fures puniendi; Responderi ad hoc
ipsum potest, non nudæ directioni in ædes alterius hanc pœnam
esse dictatam, sed tantum quædam exempla pœnarum ibidem
proposita esse, juxta quæ iudex, modo delicti circumstantiæ re-
sponderint, pœnam infligere possit; Ergo utique sub illa directi-
one in alterius ædes subintelligendum tacitè, si furtum fuerit se-
cutum. Interim non planè impunè hoc factum est, præsertim
si de intentione Directarii constiterit, ut ita iudex commodè pœ-
nam aliquam huic irrogare possit; Sicut & injuriarum, aut etiam
actione de vi, si hæc adhibita, tenebitur ingressor, per *d. l. 21. §. 7.*

ff. de furt. junct. l. 23. ff. de injur. Et hoc etiam ad eum casum extendendum, quamvis aliquis mediante effractione se in alienas direxerit, si non accesserit contrectatio, furti tamen pœna ordinaria locum non habebit *l. 22. pr. ff. de furt. Matth. Berlich: P. 5. conclus. 43. n. 76. Dn. Carpz. Pr. Crim. p. 2. Q. 79. n. 56. Matth. Wessemb. p. 3. consil. 114. n. 33.*

41. Sed quid si furtum subsecutum postquam Directarius se in ædes direxerat, an pœna laquei locum habebit? Hoc non videtur dubium, si reiteratio accesserit, & alia requisita Carolina; Id tantum merebatur discussionem, An directio in ædes alterius sit referenda ad illas circumstantias furtum aggravantes? Distinguumus, an quis se dirigat per loca solita, an insolita: Sive an quis per fores apertas ingrediatur ædes, & se celet, ut postea obseratis ædibus eò tutius furari possit, de quibus *cap. 2. num. 14. in fin. dictum.* Et hanc circumstantiam furtum aggravare non putamus, ita scilicet, ut absque iteratione suspensum dici possit, cum nullibi hoc expressum, ut per consequens pœnalia rectius restringantur, per jura tralatitia. Aliud verò est; An quis per loca insolita se dirigat in ædes, sive ut explicatius dicamus, si conscendat ædes *wen der Dieb einsteiget / hoc enim factum expressè ad circumstantias aggravantes à Carolo V. refertur Const. Criminal. artic. 160. Wo aber der Dieb zu solchen Diebstahl gestiegen oder gebrochen hette / so hette er damit / wie obgemeldet / das Leben verwircket.* Quæ decisio satis evidens est, conscensionem scilicet pro effractione haberi & ita furtum aggravari, ut statim ad laqueum possit deveniri *Berlich. d. Conclus. 43. n. 47.* quæ sententia Saxonico jure ex parte mitigata, ubi conscensio, si vel effractio non concurrat, vel etiam furtum excedat 5. solidos, tantam pœnam non meretur *Berlich. d. l. num. 75. Dn. Carpz. Prax. Criminal. d. Q. 79. num. 50. & seqq. & in Jurispr. Forens. P. 4. Const. 12. defin. 22.* quanquam & ipsa sanctio Carolina ita intelligi possit, si conscendat ædes, & vel effringat vel armis se defendat, juxta *artic. 159. d. Const. Crim. Confer. Dn. Carpz. d. Q. 79. n. 33.*

43. Sed quid de illis Directariis sentiendum, qui mediante clave adulterina in alienas ædes se dirigunt, an itidem pro effractoribus ha-

habendi? Breviter respondemus, quod quidem effractorum nomen non evadant tales Directarii, si generaliori significatu effractorum indolem acceperis; Interim id negamus, si specialiter effracturam pro circumstantia aggravante intellexeris, Ratio est, quia ejusmodi clave adulterina nulla vis committitur, & talis apertura propriè effractura non est, sed dolosa quædam ac astuta præparatio ad furtum, quæ utique pœnam quidem meretur, interim non perinde ut effractura aggravat furtum, ut ita nisi aliæ circumstantiæ concurrant, ad pœnam laquei non sit deveniendum, quod præjudiciis firmat *Dn. Carpz. Prax. Criminal. d. Quest. 79. num. 41. & in Jurispr. Forens. d. Const. 32. defn. 11.*

Ex his jam facillimum erit reliquis Directariorum Specie- 44
bus pœnas imposuisse, id saltem addimus occasione Bomolo-
chorum quorum in *fin. cap. 2.* facta mentio, generalem esse pœ-
nam Directariorum, qui se in sacras ædes dirigunt, vel ibi
occludi se patiuntur, & postea aliquid auferunt, ut Sacrilegii
teneantur, *Anton. Matth. de Crimin. lib. 47. tit. 11. cap. 1. num. 6.* Et quanquam Sacrilegium propriè sit furtum rerum Sacra-
rum & Deo consecratarum *Anton. Matth. d. tr. lib. 48. ff. tit. 10. cap. 3. num. 2. Jodoc. Damhoud. Prax. Criminal. cap. 113. num. 3. Tiber. Decian. Tract. Crimin. lib. 6. cap. 31. num. 1.* Sed post-
modum latius hoc extensum etiam ad eum casum, ubi quis vel
rem sacram, vel rem non sacram in loco sacro furatur *Vid. can. 20. vers. Sacrilegium ergo est, Causs. XVII. Quest. 4.* quæ sacrile-
gii species expressæ confirmatæ sunt à Carolo V. in *Const. Crim. artic. 171.* ut per consequens indistinctè ejusmodi Directarius
sacrilegi nomine & pœna sit dignus. *Confer. Dn. Carpz. Prax Criminal. P. 2. Q. 89. num. 7. Jacob. Menoch. de A. I. Q. cas. 389. num. 11. & 13. Prosp. Farinac. Oper. Criminal. P. 7. Q. 172. n. 7. & seqq. Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. univers. lib. 33. cap. 15. & seqq.* ubi pœnas ejusmodi Sacrilegis inferendas videbis; ad quos ne prolixiores justo simus, Lectorem ablegamus.

Ita ergo portum lumen assecuti. Tu Can- 45.
dide Lector veniam facilè dabis, si non omnia
ad

ad palatium. Etenim Exercitii Academici causa hæc tantum conscripta Disputatio, quam si non alio, certè rarioris tractationis nomine gratisimam tibi existitutum, confidimus.

Nos itaque pro felicissimo conaminum successu

SEMPITERNAM
SOLI

D E O

NUNCUPAMUS
GLORIAM.



Quivis odit aves nōrunt quæ vivere prædâs
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
Manticularius hos superat: Namque hic
lupus astu

Est hominī, unde malâ peior habetur ave.
Hunc ergò fuge, si turget tibi Sacculus ære
Plenus, ne loculos præsecet arte tuos,
Ut verò & maneat talis cultoribus artis
Pœna, RHODI, hæc à Te pagina scripta
docet.

Macte animi hoc fervore tui! sic lauta merebis;
Præmia, promisit quæ Tibi diva Themis.
Quæris quæ fuerint? Magnorum, crede Virorum
Et favor, & studio perpete partus Honor.

Philippus Jacobus VVolf,

*Pandect. Prof. Ordin. & h. t.
Acad. Rector.*

ME votū poscis. Grator prosperrima quævis,
Omnipotens cœptis sit comes ipse tuis.

*Congratulatur ita Nobili Dno.
Respondenti*

Johannes Brunnemannus, D.

Doctrinæ Specimen quod ausus tradere
RHODEN,

Docta simul genii pagina Testis erit

properante calamo scribebas

Johannes, Fridericus Rhetius, D.

I

Dignus

Dignus laude, benè qui tempus collocat omne.
Ars quoniam longa est, vita sed ipsa brevis.
Te manet iste decor RHODI quod nocte diuq;
Volueris Eunomia sedulitate libros.
Incepto pergas cursu contingere metam,
Ut patriæ prestes commoda multa Tua.

Ita Doctissimo Dn. Rhodio Amico suo
gratulabatur.

Samuel Stryke, U. J. D.

Si mea vota Tuis possunt superaddere Rebus
Auxilium, facilesq; vias, & Carmina nostra
Tantum poterunt censeris Causa bonorum:
Accipe non ficti, quæ Carmina dantur, Amici,
Accipe Votorum, quæ possumus edere, Summam,
Ut Divina Tuas moderetur Gratia Curas,
Et Vires Animumq; Pios inspiret ad Ausus.

Hæc paucula Per-Eximio Dno. Respondenti Virtute Mo-
ribusq; ad omne Decus perpolitio accinere voluit

Adamus Fridericus Neander,
Francofurt. March.

Weisläuffrig ist die Kunst/ kurz aber unser Leben
Das Gott und die Natur uns Menschen hat gegeben.
Wol dem / der seine Zeit mit Nutzen bringet zu
Und dem der Fleiß und Schweiß nur düncket eine Ruh.
Dis wird Ihm wehrter Freund Herr RHDDE zugeschrieben
Daß er bey seiner Kunst sey Tag und Nacht verblieben/
Und den **YBSEJN** zu seiner Last erkliest
Der uns zu lesen giebt was recht und unrecht ist/

Drumb

*Livor, quod nosti, comes est virtutis, ut umbra
Se vereit, sic hinc jam quoq; serpit iners.*

*Hisce pauculis Nobiliss. ac Doctiss. Dn. Respondenti
Fautori suo certissimo fraternum amorem
declarare voluit*

Theodoricus Suchs/Svverino-
Megapolit. Jur. Cult.



Quod cupidus legum fueris charissime Fautor
Rem certâ solidat pagina docta fide.
Damna mora non fers, AGNATI Gloria calcas
Currenti subdit non mediocre Tibi.

Gratulor hanc sortem, pergas tam strenuus esse
Sic Patria charus; nomine clarus eris.

*Exiguis hisce Nobil. Dno. Respondenti, Amico
& Fautori suo summoperè colendo gratulari
voluit debuitq;*

Nicolaus Chvvalkovvski,
Fraustad. Polon.

Unus multorum scopus est, sed progrediuntur
Perpauci, rectâ, quâ decet ire, viâ.
Delectat splendor permagnus Honoris; at ædes
Virtutis multi non referare volunt.

Virtutis radix multos deterret amara:

Sed nec virtutis, præmia magna ferunt.

Ast tu mi RHODI, longè es, prudentior hisce,

Cum tibi sat gratus sit Labor ille gravis.

Utri tu Cytharam præfers: hinc cingere gestit

Ipsa Themis, capitis tempora clara tui

Perge, velut cæpisti, apices conquirere juris,

Et tibi continget summus honoris apex.

Hacce gratulabundus Amico suo addere voluit

Christophorus Schröder/
Bregâ Siles.

Soll mein. entfernter Geist noch Ehren- Seulen bauen?
Und des berühmten Ruffs/der Oder- an erschalle
Ihm Wehrter *Pyrbias* ein Zeichen lassen schauen?
Dieß will die hohe Gunst / dieß fodert mit Gewalt
Die grosse Freundschafts- Pflicht womit ich Ihm verbun-
den.

Hat sein bestandter Fleiß und der bemühte Sinn
Schon die beglückte Bahn und güldnen Weg erfunden
So zum gewünschten Zweck und Ehren-Plan führt hin
Wolan! Ich wünsche Glück zum andern unterstehen
Daß hier ein Zeichen giebt wie viel er schon gethan
Fährt Er so ferner fort die Rechte durch zu gehen
So wird sein Ruhm erhöht biß an der Sternen-Plan.

Zu sonderbahrer *Affection*, und Merckmahl unver-
welcklicher Freundschaft / übersetzte dieses
entfernt seinem werthesten Freunde

Christoph. Haberkorn / Camentio.

Lufatus LL. Studiosus:

E Nse rescindenda est pars immedicabilis, Omne
Ne vitiet corpus, membraq; sana trahat.
Latius hoc siquidem serpit quo tectius esse
Se sperat vitium, robur & inde capit
Quae datur hinc Doctis laus, qui minuisse feruntur
Vim vulgando mali. Te quoq; RHODE manet.
Secretos quos turba dolos colit impia furum,
Fallat ut incauto s; Pandere cura TUA est.
Pandere non satis est fraudes caligine mersas,
Poenam & ab his qua sit lege petenda. doces.
Sic benè captà premas, Sic qui tibi germinat inde
Tempore sponte brevi surget adultus bonos.
Id quod Amico suo plurimum dilecto
gratulabundus fovet

Benedictus Fabian, Hungar.

Kunst die mit der Tugend-Zier sich in Freundlichkeit vermählet
Die auf edle Wissenschaft vest ihr Wesen hat gegründ
Die erhält den hohen Preiß der nicht alsobald zerrint
Sie hat bey der Ewigkeit ihr den festen Sitz erwehlet.
Aber wo sie nur den Schein ohne Tugend pflegt zuführen
Wo sie auff Behendigkeit einzig ihre Übung setzt
Da wird recht der Tugend-Glanz durch ihr böses thun verlegt/
Weil nur ihr vermeinter Schein auß den groben Lastern rühret.
Daß bezeugt dein hoher Geist der durch schöne Kunst geführet
Nach so vielen sauren Schwitzen itzo zu erkennen giebt/
In der hoch gelahrten Schrift / was die Welt für Künste liebt
Drumb auch der Unsterblichkeit Phœbus Ihm die Ehre giebt.

Dieses setze seinen hochgeehrten Freunde aus ver-
brüderter Treu und beliebter Freundschaft
glückwünschend hinzu

Johann Friderich Stüzing/
Auß Hall in Sachsen.

Ales was die Zeit berührt / muß auch mit der Zeit erliegen
Es steh' auch so feste noch / es muß mit den Staub zerfliegen
Aber ein recht kluger Sinn bleibt unbewegt bestehn
Machet seinen Ruhm bekand / kan nicht leichtlich untergehn.
Drumb wird auch Hochwerther Freundewig Euer Ruhm bekleibē
Der der Welt ist kund gemacht. Auch kein Neid wird ihn auffreiben/
Auch nicht die eißgraue Zeit / wohl! wohl! dem der also ringt!
Der durch seinen steten Fleiß rühmlich nach den Sternen dringt.

Solches setzet glückwünschend hinzu
seinem wehrtesten Freunde

Hermannus Westphal,
Stralsf. Pomeran.

WAn sich sein Tugend-Geist durch Farbe ließ behellen /
Ja könnte seinen Fleiß mein Federkiel vorstellen/
Bnd

Vnd bilden klärer aus: So müste seine Zier
Von Kunstgeflibener Hand gerissen/ heut herfür.
Heut muß er sein belobt/ weil er auß Ihren Gruben
Die schnöde Laster/ Bruht der Spitz/ und Schalckes/ Buben/
Ans Licht hervor gebracht/ mit nicht viel mindern Fleiß/
Als Es Ihm Ehre bringt/ und wohlverdienten Preiß.
Was aber kan doch wohl die Tugend schönes borgen
Von schwarzen Dinten/ Ruß/ kan auch sein waches Sorgen
Die Feder stellen dar in freyen Augen/ Schein?
Ach nein; mit Schweigen wil sein Fleiß verwundere
seyn.

Dieses entwurff mit flüchtiger Feder
glückwünschend

Aeneas Conradus Velling,
Osnabr. Westph.

—•••••
FAx, Themidi sacrae, Pietas clarissima! no-
stram

Imbuit hæc mentem, nubila spissa fugat,
Res liquet exemplo: Ludorum turpia SACCI.
Dum RHODEN taxat, pellere foeda studet:
Quod potuisse, DEI favor est, mox qui pietatis
Caltæ sat fructus sumere dat nitidos:
Hoc te firmando, fallorum spicula temnas
Factum queis rodunt absque vigore tuum.
Ad certam laudum segetem nunc utere viru
Illorum, faveat cum DEUS usque tibi.

*Hæc paucula Per Eximio ac Præstantissimo Dn. Respondenti
amico suo purissimo adponere volui debui
fausti ominis ergo*

Henricus Wolff/Halberstad, Saxo,
LL, Stud.

E St aliquid fraudes, quæ clàm magis ante no-
cebant,
Furandi que vafros explicuisse modos,
Addere at ut reprimi scelerum tot & agmina
possint,
Queisve cohors pœnis jure notetur iners:
Hoc opus ingenii est prompti vel quale tributū
Credibile est paucis queis Themis æqua fa-
vet.

Ergo beate nimis Juvenem quem sic beat Alma;
Quid, cedò, non laudis conferet illa viro?

*Hisco Pereximio Dn. Respondenti Agnato
suo dilectissimo gratulatur*

Friderich Wilhelm Pott /
Bielefeld. Westph.

N On opus est Hederâ suspensâ, nobile vinum
Si fit, & illecebris deliciisq; ferax.
Non opus est, animi celebrem, Lectissime, dotes,
Doctrinam laudat pagina docta tuam.
*Astutas nequam rechas dum dec egis arte,
Ingensi dotes detegit ecce Tui.
Perge bonis avibus! Doctosq; subire labores,
Ne pigeat, studii premia digna feres.*

*Sic Pereximio atq; Eruditissimo Dno. Com-
mensali gratulabundus accinebat*

Petrus Pantelius,
Dantisc. Pruss. Med. Stud.

F I N I S.

Kc 2994

ULB Halle

3

004 527 763




f
sb,

VO 17

MC







SACROSANCTA ADMINICULANTE TRIADE,
EXERCITIUM JURIDICUM
DE
SACCVLARIIS

ET
DIRECTARIIS,
Ad L. VII. FF. DE EXTRAORD. CRIMIN.
**Von Beutelschneidern und
Spitzbuben/**

QVOD
SUFFRAGIO ET AUTHORITY
MAGNIFICI JURECONSULTORVM
ORDINIS, IN ILLUSTR. HAC VIADRINA
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISS. CONSULTISS. & EXCELLENTISSIMI
DN. SAMUELIS STRYKII,
J.U. DOCT. & NOVELLARUM PROFES-
SORIS PUBLICI DIGNISSIMI,
PUBLICO ERUDITORUM SCRUTINIO
PLACIDE & REVERENTER PROPONIT
JUSTUS HENRICUS RHODEN,
BILEFELDIENSIS. WESTPHALUS.
AD DIEM XXI. FEBR. ANNO SALVTIS CHRISTIANÆ
M. DC. LXVII.
IN ACROATERIO JCTORUM HORIS CONSVETIS.
LITERIS CHRISTOPHORI ZEITLERI,

3

